VINDICIÆ
GRADVVM
PROHIBITORVM

QVIBVS ACCEDIT

BREVIS EORVM INDEX

s. COMPVTVS

AVCTORE

M. PHILIPPO VLRICO MOSER


V. D. M.



TVBINGÆ

TYPIS FVESIANIS.

ANNO MDCCLXXIX.



Matth. V. 19.

Quicunque folverit unum præceptorum horum minimorum, & docuerit ita homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.



PRÆFATIO.

Non actum agere, aut, quod ajunt, ligna in ſilvam ferre mihi videntur, qui in explanandis ac vindicandis, quos præciſe vocant, Gradibus prohibitis ſtudium atque operam na-

vant.

vant. Quamvis enim ſcriptorum non pauci ſint, qui & ante hoc tempus & nuper admodum eos tractaverint; partim tamen præcepta eorum, ut ætatem jam vivimus, præfiſcine dixerim! liberiorem, a recto & honeſto nimium quantum recedunt; partim ab Ordinatione noſtra conjugiali Virtembergica, (non enim omnes terræ Chriſtianæ in gradibus per legem divinam licitis eandem ſequuntur regulam,) aliquantum abludunt; partim etiam, quod ad eorum computationem ſpectat, aut juſto contractiora ſunt, aut non ſatis diſtincta atque evoluta. Accedit, quod in exquiſitiſſimis etiam de his gradibus ſcriptis, in quo quidem eorum auctores parum accurati eſſe, quin implicatiores etiam quæſtiones de conjugiis inter propinquos reddere mihi videntur, quælibet affinitas, quæ lege divina ad matrimonium ſoluta eſt, ad ſecundum genus referatur, cujus certe aliqua ſpecies, nimirum quæ uno tantum vinculo matrimoniali conjungitur, neque tamen lege divina prohibetur, (vulgo Affinitatem

Sue-

Suevicam vocant,) rectius Affinitas composita appellatur. Itaque ego quidem cum jam ante aliquot annos gradus istos, nimirum pro mea ipsius notitia, accuratius expendissem, factumque paulo post esset, ut alii quoque schedas illas, in quibus istos consignaveram, a me expetiissent, hortatique simul me iterum ac sæpius essent, ut typis eas pervulgari atque edi luci publicæ curarem, hortatu eorum pervictus jam tum quidem, quod de ista materia habebam scripti, ad prelum dederam. Quia vero interea, nescio, quæ causæ interveniebant, quæ impressionem ejus hactenus impediverunt; at non minus tamen, qui edendi illius primum suasores erant, instabant, atque urgebant etiam, ut cum publico istud communicarem; nunc tandem eo habitu, quem oculis, Benevole Lector! aspicis, in publico apparet.

Enimvero, ut principio statim uno quasi obtutu cognosci queat, quid de Gradibus prohibitis in hoc opusculo

propofitum fit; primo oftenditur: Interdictum eorum divinum rationis prorfus effe moralis; tum communis omnium & perpetua datur interdictionis caufa; poft ipfi gradus propinquitatis, quibus a DEo interdicitur, ex præmiffa eorum generali prohibitione, præcipue vero ex communi iftorum appellatione *Reliquiarum carnis*, Lev. XVIII. 6. propius atque evidenter quidem ac perfpicue definiuntur; dehinc cujusvis Gradus prohibiti interdictum ex ipfo linguæ Ebraicæ fonte, afperfis cuilibet quibusdam obfervationibus, exhibetur, explanatur, vindicatur; pofthæc tam ex contextu facro, quam ipfius Mofis exemplo aliisque argumentis oftenditur: non tantum perfonis in Levitico expreffe nominatis, fed paribus etiam propinquitatis gradibus a matrimonio mutuo interdictum effe; fpeciatim conjugia inter levirum & demortui fratris uxorem, inter fororium & mortuæ uxoris fororem, nec non inter Patruum f. Avunculum & fratris f. fororis filiam pariter vetitita divinitus effe; quibus

dein-

deinde argumenta tam antehac, quam recens etiam opposita confutantur ac diluuntur; post ulteriorum quoque graduum interdictiones Magistratuum Christianorum civilium probantur ac vindicantur; denique omnium Graduum prohibitorum exhibetur brevis quidem, at explicitus tamen conspectus atque index, isque tum schematibus, tum verbis etiam expressus.

Jam quæ judicia de hac Graduum prohibitorum tractatione exitura in publicum sint, si vel iniquiora aut acerbiora sint, parum laboro. Non hoc vero, quicquid est scripti, aut testimonia cujuscunque generis de hac materia scriptorum, aut πολυγλωσσον versionum vel veterum vel recentiorum varietatem ostentat; ipsa veritas sibi sufficit, verbumque divinum ipsum suam habet evidentiam. Satis fuit ostendere, interdictionem divinam graduum primorum ac proximorum, quod cordati quique facile sentient, maxime legis moralis esse. Proinde & conjugia in gradibus proxime istos sequentibus,

tibus, in quos fcil. divinæ defignationis dictio *Reliquiarum carnis* convenit, eam ipfam ob caufam, quia ad primos illos gradus proxime accedunt, ob fimilem non minus gravem rationem vetita divinitus effe neceffe eft. Stent igitur, ita nos DEus amet! ftent & ftabunt profecto leges divinæ, quicquid folutioris fententiæ patroni vel derogare iis vel obrogare conentur. Ita & Lectori Benevolo DEum T. O. M. favere, ita propitium ei ac benignum effe cupit

Dettingæ prope Heidenhemium
d. 6. Apr. 1779.

AVCTOR.



VIN-



VINDICIAE GRADVVM PROHIBITORVM.

§. I.

Occasio Scripti.

Varie a multo tempore disputatum fuit, atque adhuc inter Theologos pariter ac Jurisconsultos de Gradibus in lege divina Lev. XVIII. 6--18. & Lev. XX. 11, 12. 14. 16, 17. 19, 20, 21. prohibitis disputatur, tum quae eorum

vera & communis ratio fuerit, tum quam isti adhuc obligandi vim atque potestatem habeant. Ea autem disputatione cum ad stabilem eorum ac firmam definitionem parum adhuc profectum esse, sed ea potius indies magis eo vergere videatur, ut frena illa, quæ Deus ea lege libidinibus hominum, ut generatim etiam serpenti latius morum pravitati, injicere instituit, tantum non rumpantur, certe tamen, quam fieri possit, laxissima dentur, visum fuit hac disquisitione & ad propriam confirmationem denuo eos tractare, &, si qua forte hujus tractationis ad alios quoque utilitas redundatura sit, paucis eam hoc loco exponere interpunctionibus.

§. II.

Causa Graduum prohibitorum moralis est.

Deus istos Propinquitatis gradus Israëlitis non ob causas solum politicas, sed

ſed maxime ob rationes graviſſimas morales prohibuit.

Prob. 1. Quia matrimonia in iſtis gradibus propinquitatis conjuncta dicuntur deteſtanda facinora (תועבות) v. 26, 27. 29, 30. opera Ægyptiorum & Cananæorum, quibus hi maxime & ſe ipſos & terram Cananæam coinquinaverint, v. 3. 24, 25. 30. facta, propter quæ terra Cananæa priores ſuos habitatores evomuerit, v. 25. 28.

2. Quia illa, ſi vel cum minus propinquis, v. g. cum Patrui uxore, cum fratris vidua &c. jungantur, non ſecus ac ſi cum propinquioribus ineantur, hujusmodi criminum nominibus inſigniuntur, quæ omnia notam maxime moralem ſuſtinent.

3. Quia illa poſtea etiam a Vatibus divinis inter flagitia aut facinora moralia referuntur, Ezech. XXII. 10, 11.

§. III.

Qua ſingulos etiam gradus.

Ob hujusmodi rationes morales Deus non iſtis ſolum gradibus interdixit, quibus Parentes & liberi, nec non affines primi generis in linea recta aſcendente vel deſcendente ſeſe mutua propinquitate attingunt, ſed iſtis etiam, quibus conſanguinei aut affines poſterioris ordinis ſibi invicem ſunt propinqui, v. g. gradus fratrum & ſororum, leviri, fratriæ & ſororis uxoris, Patrui & Amitæ, Avunculi & Materteræ &c.

Prob. 1. Quia, quod Pronomina illa כל הָאל כל אלה, כל האלה, clare indicant, matrimonia illa omnia ac ſingula, quibuscunque ea in antedictis propinquitatis gradibus jungantur, inter facta iſta deteſtanda numerantur, quibus antea Cananæi & ſe & terram ſuam coinquinaverint, Lev. XVIII. 24. 26, 27. 29.

2. Quamvis vero connubia, quæ in propinquioribus gradibus jungantur, in lege illa divina deteſtabiliora judicentur, quam quæ in gradibus remotioris propinquitatis contrahantur; attamen hæc etiam non poſſunt non, licet aliquanto minus, eſſe deteſtabilia, quia tum ad illa vicinioris propinquitatis proxime accedunt, cum maxime etiam, quia, qui in his remotioris propinquitatis gradibus matrimonia inierint, a legislatore divino hac gravi nota culpantur, quod peccata ſua portaturi ſint, Lev. XX. 11, 12. 14. 17. coll. 19, 20, 21.

§. IV.

Unde inceſta alia aliis graviora.

Veruntamen in iſta Graduum prohibitorum enumeratione conjugia inceſta alia aliis indigitantur graviora. Sic v. g. inceſtus cum Patris uxore, vel cum nuru, vel cum Socru, vel

cum ſorore conſanguinea aut uterina, vel & cum Amita aut Matertera in graviori culpa eſſe declarantur, quam cum Patrui, aut fratris uxore.

Prob. Patet id clariſſime ex contextu verborum divinorum, quia inceſta cum vicinioribus propinquis capite ſanciuntur, Lev. XX. 11, 12. 14. 17. 19. cum remotioribus vero ſterilitate, v. 20, 21.

§. V.

Verum etiam obligatio Graduum prohibitorum ſub N. Foedere.

Tantum vero abeſt, ut Deus de obligatione harum de Gradibus prohibitis legum ſub Novo Fœdere quicquam remiſerit, ut potius illæ Chriſtianos ſub Novo Fœdere nunc magis obſtringant ac devinciant.

Prob. 1. Quia Chriſtus non venit, ut leges illas Veteris Fœderis, quæ ad mores ſpectant, ſolveret, Matth. V. 17. Luc. XVI. 17. ut potius Phariſæos pro-

propterea graviter culpaverit, quod leges divinas præceptis ſuis humanis diſſoluerint, Matth. V. 19. XV. 6. Leges vero iſtæ de Gradibus prohibitis, quod inprimis ex 1 Cor. V. 1. patet, maxime ad mores ſpectant.

2. Quia Paulus dicto 1 Cor. V. 1. vult, ut Chriſtiani etiam amplius, ſcil. in remotioribus gradibus a matrimoniis inceſtis abhorreant. Ex quo conficitur, Paulum, quippe Judæum gente, non ipſum modo judicaſſe, Chriſtianos legibus illis de Gradibus prohibitis ſtare oportere, ſed Corinthios quoque, quemadmodum ad alias leges Fœderis Veteris morales, ſic etiam ad alias de fugiendis matrimoniis inceſtis in præconio ſuo apud eos remiſiſſe, quod ex pluribus epiſtolarum ejus ad Corinthios locis plus ſatis patet, 1 Cor. IX. 9—10. X. 1—11. XV. 34. &c.

3. Quia ſub Novo Fœdere multo etiam minus libidinibus carnis indulgetur,

quam quidem a Mose olim sub Veteri Fœdere ob pervicaciam Israëlitarum indultum fuit, ut potius sub Novo Fœdere major etiam a Christianis postuletur castitas atque honestas morum, quam sub Veteri Fœdere, Matth. V. 27—29. Adde XIX. 5. 8. Marc. X. 4. 1 Cor. VII. 2. Eph. V. 31. 1 Cor. X. 6.

§. VI.

Causa G. P. investigatur.

Licet plures videantur esse causæ morales, propter quas istis gradibus propinquitatis interdicitur; revera tamen omnes in eo conveniunt, ut in populo DEi decus & castitas morum servetur.

Prob. 1. Licet enim cuilibet gradui prohibito peculiaris sua atque ad gradum accommodatior ratio subjiciatur, v. g. quia tua est *Mater*, Luc. XVIII. 7. quia tui *Patris* est nuditas, v. 8. quia *tua* est nuditas, v. 10. quia tui *Patris* proxima est consanguinea, v. 12. quia tuæ

tuæ *Matris* proxima eſt conſanguinea, v. 13. quia tua eſt *Amita*, v. 14. quia tui *filii* eſt uxor, v. 15. quia tui *fratris* eſt nuditas, v. 16. Omnibus tamen deinde gradibus prohibitis ea additur cauſa generalis: *ne in omnibus iſtis polluamini*, v. 24. *ne iſtis inquinetis terram*, v. 25.

2. Quia DEus omnibus iſtis gradibus prohibitis ejusmodi interdictum generale præmittit, quod Iſraëlitas jubet non modo propinquorum ſuorum pudicitiam ſartam tectamque ſervare, ſed ipſius quoque in ea re Numen ac Majeſtatem divinam caſte ſancteque vereri: *Nemo veſtrum, quicunque ſit, accedat ad propinquam carnis ſuæ detecturus nuditatem ejus: quippe ego ſum JEHOVA*, v. 6.

§. VII.

Quæ eſt mutua inter propinquos ad ſervandam pietatem ac morum ſanctimoniam verecundia.

Scilicet cum præcipue cognati unius ejusdemque ſtirpis inter ſe obſtricti ſint,

alter alteri ad ſervandam & propagandam poſteritati DEi veram religionem ac morum probitatem duces atque auctores exiſtere, a) ac propterea ſibi invicem in honore atque exiſtimatione eſſe ac manere; b) nudatio autem partium genitalium, præſertim quæ in corporum utriusque ſexus commixtione fit, (quod quidem nunc ab innata naturæ humanæ vitioſitate proficiſcitur) nimium quantum pudoris habeat, c) eamque ob cauſam, ſi inter propinquos obtineret, mutuo illi cognatorum, alterius apud alterum, honori atque exiſtimationi vehementer officeret, d) ipſa etiam ratio dictitat, præcipue inter cognatos, ad tuendum eorum mutuum honorem illum atque exiſtimationem, ab iſta nudatione [niſi ſumma neceſſitas, v. g. conſervatio ſui ipſius ſuique generis, aliud poſtulet,] e) maximopere cavendum,

at-

atque hac ratione universi quoque hominum generis probitati prospiciendum esse.

Prob. a) Quia, non solum Parentes liberis suis, verum etiam propinquos, præsertim capita stirpium ac familiarum, propinquis suis id officii debere, tum sana ratio, tum S. etiam litteræ clare testantur, Gen. XVIII. 19. (XXXVIII. 24.) Deut. VI. 7. XXXII. 46.

b) Quia, qui aliis ad virtutem & bonos mores cum fructu auctores esse ac monitores volunt, ipsi eis a pietate & castis moribus probati, quin etiam verendi esse debent, juxta tritum illud dictum:

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

c) Quia istæ partes corporis nostri, maxime vero utriusque sexus corporum commixtio, hominem videntur longe infra dignitatem suam ac sortem abjicere, quin bestiarum naturæ etiam assimilare. Quem igitur pudorem nobis

bis iſta cogitatio, aut ſenſum humilitatis atque ignobilitatis noſtræ afferre judicanda eſt? Ante lapſum certe primos noſtros parentes nuditatis ſuæ nondum puduerat; quippe nullus adhuc in mente eorum peccati aut dedecoris ſenſus inſederat. Poſt lapſum vero ſtatim, ne, quod nimis eſſet, erubeſcere alter alterum opus haberet, ac potius ne contemti nimis inter ſe, aut inutiles alter alteri ad exemplum ac ſtimulum ſanctitatis virtutisque fierent, contegi eos partes genitales oportebat. Gen. III. 7—10. coll. II. 25. Noachi poſtea partes genitales non magis a filio ejus Chamo ſpectandæ, ſed occultandæ potius a natis, nuribus ac nepotibus ejus ſollicite fuerunt, Gen. IX. 21—25. Immo ne Sacerdotes etiam olim ſub V. F. ob nudatam forte naturam ſuam populo contemtui fierent, non ſolum ipſi ſacra facturi femoralibus induti, ſed aræ etiam adſcenſus ſine gradibus factus eſſe debebat, Exod. XX. 26.

XXVIII.

XXVIII. 42. Hinc vero promtum eſt cuivis judicare, cur beſtiæ iſta partiũm genitalium obnuptione nihil opus habeant; ſcilicet quia nulla in earum actiones vel honeſtatis vel turpitudinis ratio cadit, adeoque ipſæ inter ſe neque mutua recte aut honeſte factorum exempla, neque altera alteri contemtui eſſe aut fieri poſſunt. Ponatur jam, etiam hominum, ne dicam univerſe omnium partes genitales omnibus mutuo conſpiciendas, ſed tantum propinquorum naturam alterius ab altero in commixtione conjugiali libere nudandam dari; quæ amplius mutua inter eos inhoneſte aut impie factorum verecundia, aut quæ porro mutua ad pietatem & ſanctimoniam vitæ auctoritas atque exemplum inter eos reſtare poſſet? in dies potius eos ſceleſtiores fieri, quin univerſum denique hominum genus ad belluarum vitam degenerare neceſſe eſſet. Quemadmodum itaque DEus iſtarum partium occultatione hominibus ſuum

cui-

cuique servari voluit honorem; sic inprimis honori propinquorum mutuo a partium eorum genitalium nudatione, prohibitis inter eos mutuis matrimoniis prospicere atque cavere constitutum habuit. Cf. 1 Cor. XII. 23, 24.

d) Quia, quod experientia satis testatur, nimia familiaritas plerumque contemtum parere, atque homines erga monitores suos asperos præfractosque reddere solet, Genes. XXX. 1, 2. Exod. IV. 24—26. Job. II. 9. 2 Sam. VI. 20—23. Matth. XIII. 57.

e) Quod scil. necessitas inter Adami filios filiasque, ceu inter fratres ac sorores, postulavit, Gen. IV. 17. Lothi autem filiæ inter se & Patrem suum postulare falso atque impudice putaverant, Gen. XIX. 31. Licet vero duo officia moralia pugnare inter se interdum contingat, nihilo tamen minus moralia manent.

§. VIII.

§. VIII.

Propter quam itaque omnes homines omnibus temporibus lege G. P. tenentur.

Ergo hac Graduum Prohibitorum lege omnes homines omnium locorum ac temporum, proinde Chriſtiani etiam ſub Novo Fœdere obſtricti tenentur.

Prob. 1. Quia etiam ratio iis interdicit, §. VII.

2. Quia ſpeciatim Evangelium Chriſtianis majorem etiam honeſtatem ac decus morum præcipit, quam Moſes olim ab Iſraëlitis ſub V. F. ob duram eorum cervicem poſtulavit, (§. V.) nec jam amplius in hodierna fœminarum multitudine neceſſitas poſcit, ut, quæ olim inter natos Adami ob paucitatem hominum fieri debuit, exceptio iterum ab hac lege fiat.

§. IX.

§. IX.

Immo non solum inter personas in lege illa scriptas, sed etiam inter parium graduum propinquos matrimonio interdictum esse oportet.

Ergo quoque non inter istas solum personas, quæ expressis verbis in lege illa Lev. XVIII. & XX. nominantur, matrimonio interdicitur, sed simul inter eas etiam, quæ, etsi non diserte nominatæ sunt, pari tamen ab se invicem propinquitatis gradu distant.

Prob. 1. Quia parium propinquitatis graduum par etiam, quæ ante exposita est, moralis ratio est (§. VII.)

2. Speciatim vero id in sequentibus §. XV. probabitur.

§. X.

In interdictum ipsum inquiritur.

Verba Lev. XVIII. 6. generalem primo interdictionem Graduum prohibitorum continent; deinde vero specia-

cialis eorum enumeratio a verſu 7. usque ad 18. ſubjungitur.

Prob. Quia omnes iſtæ perſonæ, inter quas in dictis verſibus matrimonio mutuo interdicitur, in numero propinquorum ſ. שארי בשר i. e. agnatorum carnis ſunt, coll. v. 6. quin partim diſerte ad propinquitatem carnis (שאר בשר) referuntur, v. 12, 13. 17. Non ſecus itaque, ut Lev. XXI. 2, 3. Sacerdoti primo generatim interdicitur, ne ſe in mortuis, niſi cognatis proximis polluat, deinde vero cognati illi ſpeciatim indigitantur, in quibus liceat ipſi contaminari; ſic etiam in hoc loco generale interdictum matrimonii inter propinquos præmittitur, deinde vero iſtæ propinquæ ſpeciatim enumerantur, cum quibus matrimonio interdicitur.

§. XI.

Interdictum 1. generale exponitur.

Eſt vero commatis illius hic genuinus & nativus ſenſus atque expoſitio:

Lev. XVIII. 6. אִישׁ אִישׁ אֶל־כָּל־שְׁאֵר בְּשָׂרוֹ לֹא תִקְרְבוּ לְגַלּוֹת עֶרְוָה אֲנִי יְהוָה׃ *Nemo* (veſtrum) *quicunque ſit, ad quamcunque propinquam carnis ſuæ appropinquet, detegendo nuditatem* (ejus. Quippe) *Ego JEHOVA* (edico.) Quæ verba LXX. interpretes ſic verterunt: *Ἄνθρωπος ἄνθρωπος πρὸς πάντα οἰκεῖα σαρκὸς αὐτοῦ οὐ προσελεύσεται ἀποκαλύψαι ἀσχημοσύνην· ἐγὼ κύριος*, i. e. Quicunque ſit, ad omnia propinqua carnis ſuæ non accedet, aperiendo turpitudinem: Ego DOMINVS.

Prob. איש איש, quod iteratum alias quoque diſtributionem ſignificat, Lev. XVII. 8. 10. 13. XX. 2. 9. XXII. 4. 18. Num. V. 12. Ez. XIV. 3. 6. reſpici thic diſtributionem populi in tribus & familias, in ætates, ordines ac ſtatus, præcipue vero, quod ex verſu 26. patet, in indigenas atque extraneos; adeoque ſignificat hoc loco: *Omnis vir apud vos, quicunque ſit*, i. e. indigena ſive ex-

extraneus, princeps sive de populo aliquis, sacerdos sive tribulis, herus sive servus, juvenis sive senex, dives sive egenus &c. Ut proinde hæc lex etiam extraneos, qui inter Israëlitas habitaverunt, obligaverit. Cæterum junctum hic Particulæ לא negat, cuiquam seu ulli licere ad propinquam carnis suæ accedere, hoc modo: *Nemo, quicunque sit, accedito* &c.

אל־כל־שאר בשרו *ad quamcunque propinquam carnis suæ*, s. ad sensum simul atque ad etymon vocis accommodatius: *ad quodcunque reliquum* i. e. agnatum *carnis suæ*] בשר enim, quod alias in genere omnem naturam viventem, h. e. omne animal significat, quatenus hoc opponitur rebus inanimatis, Gen. VI. 13. 17. VII. 21. junctum hoc loco cum Pronomine tertiæ Personæ, atque in sermone de homine viro (איש איש,) opponitur bestiis, quibuscum DEus infra commisceri vetat, Lev. XVIII. 23. XX. 15. & pro-

pterea non ſolum naturam ſeu carnem humanam denotat, quemadmodum etiam uxor cum marito ſuo *una caro* dicitur, Gen. II. 23, 24. tum quia Eva de carne Adami deſumta fuit, tum quia maritus cum uxore ſua in commixtione conjugiali unum quaſi totum generans conſtituit; verum etiam in ſpecie, ubi de conſanguineis atque affinibus agitur, ſonat *Cognationem* ſ. familiam hominis, non ſecus atque alias quoque iſtam ſignificationem ſubit, v. g. Gen. XXIX. 14. XXXVII. 27. 2 Sam. XIX. 13. nec non, licet in ſenſu latiori, Jud. IX. 2. 2 Sam. XIX. 12. 1 Chron. XII. 1. Rom. XI. 14.

שאר vero, quod quidem alias *Carnem* ſ. *Pulpam* hominis aut beſtiæ denotat, Exod. XXI. 10. Pſalm. LXXIII. 26. LXXVIII. 20. Prov. V. 11. Jer. LI. 35. Mich. III. 2, 3. atque hinc interdum quoque *Alimentum* ſ. *Cibum*; in ſpecie tamen, quando de iis dicitur, qui ejusdem Cognationis ſunt, ſignificat

Agna-

Agnatum ſ. *Cognatum*, Lev. XXI. 2. XXV. 49. Num. XXVII. 11. Græce apud LXX. *οἰκεῖον*, h. e. *quod ejusdem familiæ eſt*; *Συγγενία Cognatum*; Chald. קריב *Propinquum*. Unde etiam Arabibus ex uſu Hebraico ثَأْر Sair denotat *Goëlem talione ulciſcentem*, h. e. Cognatum, qui jus habet cædem cognati cœde ulciſcendi, vid. SCHVLZII Lexic. Hebraic. Coccej. de voce שאר. Nimirum cum vox שאר, utcunque alii hanc vocem exponant, vel etymon ejus inveſtigent, ad modum formæ פאר *Ornatus*, quod a Radice פאר *Ornavit* deſcendit, ſine ulla dubitatione derivetur a Radice שאר, quod in ſermone Arabico adhuc uſitatum ثَأَرَ Saara, perinde ut in Hebraico ſignificat *Superfuit*, *Reliquus* ſ. *Reſiduus fuit*, proprie nihil aliud denotare poteſt, quam *Reliquum*, *Reſiduum*, aut *Reliquias*, non ſecus ac Fœmininum ejus שארה Lev. XVIII. 17. quod eandem ſignificationem habet. Ut

proinde generali huic ſignificationi cum utroque ſuperiori ſignificatu apte commodeque conveniat; videl. שאר *Caro*, i. e. *Reliquum* ſ. *Adjunctum* hominis aut beſtiæ; nec non שאר *Agnatum*, *Cognatum*, *Propinquum*, h. e. *Reliquum*, *Reſiduum*, *Adjunctum* alicujus familiæ; Gallice Appartenance, Germ. *Angehörige*. Vid. etiam Generos. Domini Equ. MICHAELIS *Moſaiſche Ehgeſeze* §. 16. it. Ejusd. *Moſaiſches Recht*, §. 102. Enimvero hoc loco ob verborum etiam cohærentiam alia huic voci ſignificatio, niſi *Agnati* ſ. *Cognati*, ſubjici prorſus nequit; quippe cum omnes, quibuscum Deus in ſubſequentibus verſibus commiſceri vetat, inter *Agnatas*, *Cognatas* ſ. *Propinquas* referendæ ſint.

Porro כל, quod alias etiam *Omnes* ſeu *Omnia* alicujus Generis ſ. Speciei denotat, in ſpecie hoc loco, ubi a vocibus שאר בשר propius deſignatur, ſignificat *Omnem Agnatam*, *Cognatam*

tam atque *Affinem*, quæ v. g. meæ carnis f. familiæ eſt. Ut proinde hic cum oppoſitione quadam ad שאר קרוב *Propinquos proximos*, Lev. XXI. 2. indicet, omnes hic alicujus cognationis aut familiæ Agnatas atque Affines intelligendas eſſe.

לגלות ערוה *Detegendo nuditatem*] Id Moſi per Euphemiſmum tum *in Matrimonium ducere*, tum in genere *Commiſceri cum aliqua foemina*, ſonare, ipſa ejus altera vox isodynamica aperde declarat, videl. cum eandem rem Lev. XVIII. 16. appellet לקח אשה *Ducere uxorem;* vel illa altera Lev. XX. 11, 12. 18. 20. שכב את־אשה *Concumbere cum foemina*, coll. Lev. XVIII. 14. 18, 19. & XX. 11. 17, 18, 19, 20, 21. Verum illa phraſi Legiſlatorem divinum etiam atque præcipua quidem ratione ſimul cauſam innuere velle, quare commixtione aut matrimonio cum propinqua interdictum ſit, ſcil. ne mutuus propinquorum honor at-

que exiſtimatio lædatur, aut contemtui illi ac deſpicatui alter alteri fiant, tam ipſa vox ערוה *Nuditas* ſ. *Pudor*, quam collatio etiam hujus phraſis cum Gen. III. 7-10. IX. 21-25. 2 Sam. VI. 20. 22. non obſcure innuit.

Reliqua verba hujus verſus, cum ipſa a ſe ſatis clara, neque, quod ſciamus, inter Theologos ac Jurisconſultos controverſa ſint, ſatis eſt, ſupra expoſuiſſe. Quodcirca ne præter neceſſitatem prolixiores ſimus, ſtudio hic ea prætermittemus.

§. XII.

Tum quænam perſonæ ad שאר בשר *referendæ ſint?*

Jam quænam perſonæ ad illud שאר בשר *Agnatum* ſ. *Cognatum carnis* referendæ ſint, ex ipſo verborum divinorum Lev. XVIII. & XX. contextu oſtendendum eſt. Res ad hos redit Canones communes:

I. Ca-

I. Canon: Pater meus & Mater mea, itemque Avi mei & Aviæ meæ &c. ſunt בשרי *Carnis meæ*, i. e. a quorum carne ego ortus ſum: Viciſſim, Ego, itemque filius & filia mea ſumus בשר אבי ואמי *Caro Patris mei & Matris meæ*; ergo etiam Avorum meorum & Aviarum mearum.

Prob. 1. Id docet ratio naturalis, quia ego de carne Patris mei, itemque matris meæ genitus & quaſi abſtractus ſum. Quæ ratio non minus de Avis & Aviis eorumque nepotibus ac neptibus valet.

2. Inprimis illud docet cauſa de non ducenda filia filii aut filiæ ſuæ addita v. 10. *Quia tua eſt nuditas*, h. e. nuditas carnis tuæ; quod dicit, ejus fœminæ, quæ tuæ carnis ſ. genituræ eſt.

3. Quanquam vero alicujus viri etiam Pater & Mater, item filius & filia ejus, per ellipſin vocis בשר Lev. XXI.

2, 3. ejus שאר קרוב *Cognatum proximum* appellantur; id tamen *α*) non nisi in sensu latiori fit, in quo de omnibus propinquis generatim usurpatur; unde additur קרוב *Proximum.* *β*) Deinde magis propter fratrem & sororem dicitur, qui non minus ibi nominantur, quam propter Patrem & Matrem, filium & filiam; si quidem fratres demum & sorores in sensu proprio ac strictiori שאר *Agnatum* f. *Cognatum* appellentur, Lev. XVIII. 12, 13.

II. Canon: Uxor mea non minus est caro mea; quemadmodum vicissim ego caro uxoris meæ sum.

Prob. 1. Id probat tum ratio creationis Evæ, communis omnium matris, ex costa Adami, Gen. II. 21-23.

2. Tum ratio conjunctionis conjugialis uxoris cum marito, ib. v. 24. Matth. XIX. 5 ss. 1 Cor. VI. 16.

3. Tum inprimis ratio interdicti de non detegenda nuditate Novercæ, v. 8. *Quia*

Quia eſt nuditas Patris tui; item de non ducenda fratris uxore, v. 16. *Quia tui fratris eſt nuditas.*

III. Canon: Hinc frater & ſoror mea, ſi mecum comparentur, ſunt שאר בשרי *Reſiduum*, h. e. *Adjunctum* ſ. *Agnatum carnis meæ.*

Prob. 1. Nam de eadem mecum carne Patris & Matris meæ procreati & quaſi abſtracti ſunt. Ergo, Non ſunt בשרי Caro mea; ſed שאר בשרי tamen *Reſiduum*, h. e. *Agnatum carnis meæ*, ſ. quod præter mea Patre & Matre mea progenitum eſt.

2. Amita mea ſ. Soror Patris mei dicitur Patris mei שארו *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis ejus;* ſicut & Matertera mea ſ. Soror Matris meæ dicitur Matris meæ שארה *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis ejus*, Lev. XVIII. 12, 13. Ergo etiam frater meus aut ſoror mea eſt שאר בשרי *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis meæ*, i. e. Reliqua Patris mei aut Matris meæ præter me caro.

IV.

IV. Canon: Sed Patris etiam aut Matris meæ Frater aut Soror ſunt שאר בשרי *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis meæ.*

Prob. 1. Pater & Mater mea ſunt בשרי *caro mea*; & viciſſim: Ego ſum caro Patris mei & Matris meæ, (Can. I.) Sed Patris aut Matris meæ Frater aut Soror, ſi cum Patre aut Matre mea comparentur, ſunt שאר בשרם *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis eorum*, puta, qui præter Patrem aut Matrem meam a communis ſui Patris & Matris carne orti aut abſtracti ſunt (Can. III.) Ergo Frater & Soror Patris mei aut Matris meæ ſunt etiam שאר בשרי *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis meæ*, h. e. Reliqua præter Patrem aut Matrem meam, quorum ego caro ſum, ſui Patris aut Matris caro.

2. Expreſſe vero Soror Patris mei aut Matris meæ, quæ Lev. XVIII. 12, 13. Patris mei aut Matris meæ שאר dicitur, dicitur etiam filii fratris aut

So-

Sororis suæ שאר *Residuum* f. *Agnatum carnis* ejus, Lev. XX. 19. Ergo etiam Meum שאר *Residuum* f. *Agnatum carnis* meæ est. Quemadmodum vero Soror Patris mei aut Matris meæ meum שאר *Residuum* f. *Agnatum carnis* meæ est, quia ejusdem cum Patre meo aut cum Matre mea carnis est; etiam Frater Patris mei aut Matris meæ, quia pariter est ejusdem cum Patre meo aut cum Matre mea carnis, Meum שאר *Residuum* f. *Agnatum carnis* meæ sit, necesse est.

3. Communiter etiam Frater aut Soror Patris mei aut Matris meæ in numero שארי בשר *Residuorum* f. *Agnatorum carnis* ponuntur, a quibus matrimonio mihi abstinendum est, Lev. XVIII. 6.

V. Canon: Denique, Qui mihi affinitate primi generis in linea recta propinqui sunt, v. g. Vitricus & Noverca mea, privignus & privigna mea; item Socer & Socrus mea,

gener & nurus mea: nec minus, Qui mihi affinitate ejusdem generis in gradu lineæ obliquæ primiprimo, primisecundo & primitertio &c. propinqui sunt (vid. Computus meus Graduum Prohibitorum major) v. g. Uxor fratris mei, maritus sororis meæ, frater mariti, soror mariti, uxor Patrui seu Avunculi mei, maritus Amitæ aut Materteræ meæ &c. sunt שאר בשרי *Residuum* s. *Agnatum carnis meæ*.

Prob. 1. Pater & Mater mea, item filius & filia mea sunt caro mea (Can. I.) Atqui Conjuges conjunctim (non separatim), sumti i. e. ambo simul non singuli), sunt una caro, singuli vero (i.e. separatim sumti) non sunt tota illa caro una, h. e. unum illud generans totum, sed tantum carnis illius unius generantis pars alterutra. Ergo Vitricus aut Noverca mea &c. &c. nec minus uxor fratris mei & maritus soro-

ro-

roris meæ &c. &c. non ſunt בשרי *Caro mea*, ſed שאר בשרי *Reſiduum* ſ. *Adjunctum carnis meæ.*

2. Ea de cauſa etiam privigna mea, nec non filia privigni aut privignæ meæ diſerte Lev. XVIII. 17. dicitur שארה, h. e. ſi mecum comparetur, שאר בשרי *Reſiduum*, *Pars* ſ. *Agnatum carnis meæ.*

Conſectarium I. Ergo filii aut filiæ Patrui ſ. Amitæ meæ, Avunculi ſ. Materteræ meæ non ſunt porro שאר בשרי *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis meæ*; multo igitur minus horum filiorum ſ. filiarum uxores aut mariti. Proinde nec matrimonio mihi cum iis interdictum divinitus eſt.


Prob. Nam filii aut filiæ Patrui ſ. Amitæ, Avunculi ſ. Materteræ meæ ſunt quidem שאר בשר *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis* Patris aut Matris meæ, ſeu potius Pater aut Mater mea ſunt Agnatum carnis horum filiorum aut filiarum (Canon IV.) quia vero genitu-

tura Patris mei aut Matris meæ, cujus utpote ego caro ſum (Canon I.) alia eſt, ac genitura (מולדת) Patrui ſ. Amitæ, Avunculi ſ. Materteræ meæ, cujus filii aut filiæ carnes eorum ſunt, Pater quidem aut Mater horum filiorum aut filiarum eſt שאר בשרי *Agnatum carnis* meæ, quoniam *Reliquum* eſt geniture Patris aut Matris meæ, h. e. eodem Patre vel Matre genitum; ſed illi ipſi filii aut filiæ, quia non ſunt *caro* Patris aut Matris meæ, neque שאר בשרי *Agnatum carnis* meæ ſunt.

Confectarium II. Ergo in altero genere Affinitatis, qui non minus, ſed vulgo Vitricus aut Noverca, privignus aut privigna, Socer aut Socrus, gener aut nurus vocantur, non ſunt amplius, ſi mecum comparentur, שאר בשרי *Reſiduum* ſeu *Agnatum* ſ. *Adjunctum carnis meæ.* Schemata ſunt:


Vitri-


Vitricus, f.
I. 1. Noverca. 2.



Socer, f.
Socrus

Privignus, f.
Privigna.





Gener f.
Nurus.

Prob. 1. *a* quidem cum A una caro, adeoque שאר בשר Adjunctum carnis τȣ B. fuit. Sed a, mutato jam sexu, non item cum eodem A una caro est. Ergo a non est שאר בשר Adjunctum carnis τȣ B, nec B est שאר בשר Adjunctum carnis τȣ a

c II. Si-

II. Similiter in altero duplici Schemate, B quidem carnis est τȣ A, non vero carnis τȣ̃ α. Ergo b quidem שאר בשר est τȣ̃ A, & B שאר בשר est τȣ̃ α; sed nec b τȣ̃ α, nec α שאר בשר Adjunctum carnis est τȣ̃ b.

§. XIII.

Interdicta specialia.

Ex his jam Canonibus primo de iis personis, inter quas Lev. XVIII. & XX. disertis verbis matrimonio interdictum est, cognoscere licet.

I. Interdicitur MATRE.

I. Interdicitur Lev. XVIII. 7. matrimonio seu commixtione cum MATRE. Verba divina sunt: עֶרְוַת אָבִיךָ וְעֶרְוַת אִמְּךָ לֹא תְגַלֵּה אִמְּךָ הִוא לֹא תְגַלֶּה עֶרְוָתָהּ׃ *Nuditatem Patris tui*, & (eandemque) *nuditatem Matris tuæ ne detegito*; (quia) *Mater tua est*; *ne detegito nuditatem ejus.*

A) Sen-

A) Senſus verborum eſt: Ne filius commiſceatur, aut matrimonio jungatur (vid. enim §. XI. de phraſi גלות ערוה) cum Matre ſua. Non enim hic ſermonem eſſe de inceſtu filiæ cum Patre, (cujus utpote interdictio, tanquam ipſa a ſe ex paritate gradus ſatis intelligibilis ſupponitur potius, a) ſed de inceſtu cum Matre ex eo patet

α) quia hoc inceſtu (non ſecus ac reliquis in hac lege divina inceſtibus) Viro interdicitur, ſcil. *Tu* Vir *ne detegito* &c.

β) quia ratio additur: *tua Mater eſt.*

γ) quia dicitur: *Ne detegito* ערותה (cum Affixo Pronomine tertiæ perſonæ fœmin. generis) ſcil. Matris tuæ, non ערותו nuditatem ejus, ſcil. Patris tui, neque ערותם nuditatem eorum, ſcil. Patris tui, ut & Matris tuæ.

B) Rationes hujus interdicti ſubjunguntur:

 α) Nu-

α) *Nuditas Patris tui & nuditas Matris tuæ est* b), h. e. quia tua Mater cum Patre tuo una caro est (vid.§.XII.2.)

β) *Mater tua est*, i. e. cujus tu ipse (בשר) carnis es, quæ etiam tibi, ceu filio, in honore atque existimatione esse debet. c)

Obs. a) Quia Moses matrimonio cum filia (ut cum germana quoque Sorore ex utroque Parente) non diserte prohibet, sed illo potius ob paritatem gradus simul interdictum esse tacite judicat, colligendum exinde est: etiam aliis personis, quæ in paribus gradibus sibi invicem propinquæ sunt, matrimonio, alteri cum altera, interdictum simul esse; licet earum a Mose non expressa mentio fiat.

Obs. b) Maritus & uxor ejus in propinquitatis computatione tanquam pro una persona habentur. Cf. etiam v. 8. & 16. Hinc homini non cum consanguineis solum proximis suis, sed

ſed cum eorum conjugibus etiam, ceu cum affinibus ſuis, in pari gradu interdictum eſt, Lev. XVIII. 14.

Obſ. c) Rationes illæ ſubjunctæ, v. g. quia tua *Mater* eſt v. 7. quia tui *Patris* nuditas eſt, v. 8. quia *tua* nuditas eſt, v. 10. quia tua *ſoror* eſt, v. 11. quia *Patris* tui שאר *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis* eſt, v. 12. quia tuæ *Matris* שאר *Agnatum carnis* eſt, v. 13. quia tua דודה *Amita* eſt, v. 14. qui tui *filii* uxor eſt, v. 15. quia tui *fratris uxor* eſt, v. 16. nihil aliud innuere poſſunt, quam fas eſſe, ut ab iis abſtineamus, quibus vel ad caritatem, honorem atque reverentiam obſtricti ſumus, vel & quorum (quarum) pietatis atque integritatis morum curam debemus ſuſtinere.

II. Interdicitur NOVERCA.

II. Interdicitur Lev. XVIII. 8. matrimonio ſ. commixtione cum NOVERCA,

 ſeu

seu cum Patris Uxore; quod deinde Lev. XX. 11. capite etiam sancitur. Verba divina Levit. XVIII. 8. sunt: עֶרְוַת אֵשֶׁת־אָבִיךָ לֹא תְגַלֵּה עֶרְוַת אָבִיךָ הִוא׃ *Nuditatem uxoris Patris tui ne detegito*; (quia) *nuditas Patris tui est.* Et Lev. XX. 11. וְאִישׁ אֲשֶׁר יִשְׁכַּב אֶת־אֵשֶׁת אָבִיו עֶרְוַת אָבִיו גִּלָּה מוֹת־יוּמְתוּ שְׁנֵיהֶם דְּמֵיהֶם בָּם׃ *Et vir, qui concubuerit cum uxore Patris sui, nuditatem Patris sui detexit* a), *morte occiduntor* (capite pleãuntor) *ambo: sanguis eorum super eis* (i. e. culpam suam capite luunto).

A) Sensus verborum est: Ne quis commisceatur, aut matrimonio jungatur cum Noverca sua, i. e. cum Patris sui uxore b). Quicunque vero id in se admiserint, ambo capitis supplicio afficiantur; ipsi hanc noxam suam, ut sacrificio inexpiabilem, capite luant.

B) Rationes subjiciuntur:

α) quia

α) *quia Patris tui nuditas est*, h. e. quia uxor Patris tui cum Patre tua una caro eſt. c)

β) *quia Patris nuditas detegitur*; i. e. quæ ſumma inverecundia atque dedecus eſt.

Obſ. a) Ergo *Nuditatem detegere* utrumque ſignificat: Matrimonium contrahere, & commiſceri, vel ſemel tantum, cum aliqua fœmina.

Obſ. b) Levit. XX. non diſerte matrimonio aut commixtione cum Matre interdicitur, neque pœna etiam in hujus gradus inceſtum conſtituitur. Ratio eſt: Legislator divinus judicat, ex conſecutione a minori ad majus, i. e. a culpa gravi ad culpam graviorem, facile inferri poſſe, inceſtum cum Matre multo etiam magis ſupplicium capitis mereri. Quidni igitur colligere liceat: non inter perſonas modo, quæ expreſſe nominantur, ſed inter pares etiam propinquitatis gradus matrimonio interdictum eſſe.

Obſ. c) Nuditas Novercæ dicitur ***nuditas Patris.*** Recurrunt itaque hic Obſervationes ad Interdictum I. a) & b).

III. Interdicitur SORORE Conſanguinea aut Uterina.

III. Interdicitur Levit. XVIII. 9. matrimonio aut commixtione cum SORORE Conſanguinea vel Uterina, eaque in hoc verſu extra conjugium genita. Verba divina ſunt: עֶרְוַת אֲחוֹתְךָ בַת־אָבִיךָ אוֹ בַת־אִמֶּךָ מוֹלֶדֶת בַּיִת אוֹ מוֹלֶדֶת חוּץ לֹא תְגַלֶּה עֶרְוָתָן׃ *Nuditatem ſororis tuæ, filiæ Patris tui, aut filiæ Matris tuæ, genituræ domeſticæ aut extraneæ* a); ***non detegito nuditatem earum.***

A) Senſus verborum eſt: Hoc interdicto non cum ſorore germana ejusdem & Patris & Matris, neque cum ſorore ejus generis conſanguinea aut uterina matrimonio fratri interdicitur, quæ Patri aut Matri ex alio, ſed legitimo toro nata ſit, verum cum tali ſorore, quæ

quæ Patri aut Matri extra conjugium genita ſit. b)

α) alioquin enim in hoc verſu eadem plane ſorore interdiceretur, atque in verſu 11.

β) Ne ſcil. Iſraëlitis in opinionem venire poſſet, ſororem certe extra conjugium genitam, ſibi licere in matrimonium ducere, eoque magis, quia etiam Abrahamus ſororem ſuam conſanguineam in matrimonio habuerit, expreſſe additur: *ſive genituræ domeſticæ, ſive extraneæ*; quod dicere vult: ſive ea a Patre aut Matre tua extra conjugium domi ex pellicatu genita ſit, ſive foris ex ſtupro nata. c)

B) Ratio interdicti ſubjungitur:

α) *quia tua ſoror eſt*, i. e. quam inter & te mutua ad pietatem & ſanctimoniam morum verecundia intercedere debet.

β) *Quia eſt filia Patris tui aut Matris tuæ*, i. e. cujus tu hoc etiam nomine, & propter Patrem aut Matrem tuam

parcere pudicitiæ, ac ſervare modeſtiam virginalem debes.

Obſerv. a) Fuerunt, qui vocabulum illud מולדת pro Participio Activæ ſignificationis, tam in hoc, quam in illo altero verſu 11. voluerunt haberi, eaque de cauſa verbis divinis alienum plane ſenſum affinxerunt, videl. *filiam Matris tuæ, quæ quidem* (Mater tua) *pepererit* (Patri tuo) *domi, aut pepererit foris.* Deinde fuerunt alii, qui itidem in hac voce, quaſi in Participio Activo, offendentes eam pro mendo vel librariorum vel Rabbinorum, qui textui Hebraico primi puncta vocalia adſcripſerint, habuerunt, atque quod expoſitio LXX. Interpretum, ſcil. γεγεννημένης, indicet, eam potius per ו lectam voluerunt, nempe מוּלֶדֶת, q. d. genitam aut natam. Sed rem judico ſalvam eſſe; ſiquidem vox מוֹלֶדֶת, quæ pluries in S. litteris V. F. occurrit, ut non ſolum ex ejus expoſitione, verum maxime etiam ex Act.

VII. 3.

VII. 3. coll. Gen. XII. 1. elucet, naturam & potestatem Substantivi significationis Passivæ, certe quidem Mediæ, induerit, scil. *Geniture* aut *Generationis*.

Observ. b) Perinde ergo est, utrum propinqui, quibus matrimonio inter se prohibitum est, ex utroque Parente; an ex alterutro tantum, utrum ex legitimo conjugio, an ex pellicatu vel stupro orti sint.

Observ. c) Moses matrimonio cum sorore germana ejusdem tum Patris tum Matris non diserte interdicit. Quid ita? Judicat Israëlitas illud facile ipsos a se consecutione dictorum, tanquam conclusione a minori ad majus, pro incesto habituros esse. Ergo nos quoque, non solum inter personas istas, quæ expresse nominantur, sed inter personas etiam parium graduum matrimonio interdictum esse debemus judicare.

IV. Interdicitur NEPTE.

IV. Interdicitur Levit. XVIII. 10. matrimonio f. commixtione cum NEPTE, h. e. cum filia filii aut filiæ. Verba divina funt; עֶרְוַת בַּת־בִּנְךָ אוֹ בַת־בִּתְּךָ לֹא תְגַלֶּה עֶרְוָתָן כִּי עֶרְוָתְךָ הֵנָּה׃ *Nuditatem filiæ filii tui, aut filiæ filiæ tuæ* a), *ne detegito nuditatem earum, quia illæ nuditas tua funt.*

A) Senfus verborum facilis & planus eft, licet ter pofita vox ערוה, eaque modo fingulariter, modo autem pluraliter, aliquam difficultatem afferre videatur. Verba enim fic fluunt: Quod vero ad nuditatem filiæ filii tui, aut filiæ filiæ tuæ fpectat, ne detegito nuditatem earum, quia & hæc & illa nuditas *tua* eft, i. e. ad tuam carnem pertinet.

B) Non vero plane nihil hanc rationem fubjunctam: *quia tua nuditas funt illæ*, arbitror ad explicationem legis de Gradibus prohibitis divinæ, inprimis ve-

vero dictionis illius שאר בשר *Agnatum carnis* importare. Nimirum Moſes non dicit: nam tua neptis eſt שאר בשרך *Agnatum carnis tuæ*; ſed videtur dicere velle: nam illæ *tua* ipſius *caro* בשרך ſunt, i. e. cui tu auctor atque exemplum pietatis ac ſanctimoniæ, adeoque in honore atque exiſtimatione eſſe debes.

Obſerv. a) Moſes non diſerte vetat commiſceri cum filia propria, (ne dicam, cum Avia,) neque etiam Levit. XX. in inceſtum cum nepte, quo expreſſe Levit. XVIII. 10. interdicit, pœnam aliquam conſtituit, nec magis ibi interdictum ipſum repetit. Quid igitur? Invicto id argumento eſt: quia ipſe Moſes ſupponit, commixtiones illas, quas diximus, cum Avia, cum filia propria, ut & cum nepte, facile a ſe ipſas inceſtas & nefandas judicari poſſe, nos quoque circa Gradus prohibitos & a minori ad majus, & a pari gradu ad parem argumentari, adeo-

que

que non inter perſonas illas ſolum, quæ in lege divina diſerte nominantur, ſed inter eas etiam, quæ in paribus gradibus ſibi mutuo propinquæ ſunt, ſimul matrimonio interdictum eſſe, judicare oportere.

Obſerv. b) Ratio Graduum prohibitorum in ipſa carnis propinquitate, non extra illam in alia quapiam re præcipue, nedum unice ponitur. Ergo Parium propinquitatis graduum par etiam interdictionis ratio ſit, neceſſe eſt.

V. Interdicitur SORORE Conſanguinea aut Uterina legitima.

V. Interdicitur Levit. XVIII. 11. immo Levit. XX. 17. etiam ſub ſanctione capitis, & Deut. XXVII. 22. execrationum quoque publicarum, matrimonio aut commixtione cum SORORE conſanguinea aut Uterina legitima. Verba divina Levit. XVIII. 11. ſunt: עֶרְוַת בַּת־אֵשֶׁת אָבִיךָ מוֹלֶדֶת אָבִיךָ אֲחוֹתְךָ הִוא לֹא תְגַלֶּה עֶרְוָתָהּ׃ *Nudita.*

ditatem filiæ uxoris Patris tui, genituræ Patris tui; Soror tua eſt: ne detegito nuditatem ejus. Quæ verba ſic exponenda ſunt: De nuditate filiæ Novercæ tuæ, quæ quidem genituræ Patris tui ſit, ſcito, eam ſororem tuam eſſe; ne itaque nuditatem illius detegito. Altera Levit. XX. 17. ſunt:
וְאִישׁ אֲשֶׁר־יִקַּח אֶת־אֲחֹתוֹ בַּת־אָבִיו אוֹ־
בַת־אִמּוֹ וְרָאָה אֶת־עֶרְוָתָהּ וְהִיא־תִרְאֶה
אֶת־עֶרְוָתוֹ חֶסֶד הוּא וְנִכְרְתוּ לְעֵינֵי בְּנֵי
עַמָּם עֶרְוַת אֲחֹתוֹ גִּלָּה עֲוֺנוֹ יִשָּׂא׃ *Porro ſi vir duxerit ſororem ſuam, filiam Patris ſui, aut filiam Matris ſuæ, & viderit nuditatem ejus ipſa quoque vidente nuditatem illius* a), *probrum illud eſt; excidantur* b) *in conſpectu populi eorum; nuditatem ſororis ſuæ detexit; ſcelus ſuum luito.* Quorum verborum illa quidem de mutuo nuditatis i. e. partium genitalium, adſpectu hoc loco de commixtione corporum

porum per metonymiam Antecedentis intelligenda ſunt; quanquam etiam adſpectus nuditatis fratris aut ſororis, ſcil. qui conſilio & deſtinata opera fit, non ſine gravi culpa eſt. Illa deinde verba de exciſione eorum coram oculis populi ſui hunc ſenſum habent: inceſtuoſos illos ad deterrendos ab hujusmodi nefando flagitio alios in oculis populi capite plectendos eſſe; Denique hæc de portatione ſeu luitione culpæ eorum, nihil aliud ſonant, quam iſtum inceſtum inexpiabile crimen eſſe, cujus culpa ac pœna nullo ſacrificio averti queat. Poſtrema Deut. XXVII. 22. verba ſunt: אָרוּר שֹׁכֵב עִם-אֲחֹתוֹ בַּת-אָבִיו אוֹ בַת-אִמּוֹ וְאָמַר כָּל-הָעָם אָמֵן: *Execrationibus publicis devoveatur, qui concubuerit cum ſorore ſua, filia Patris ſui, aut filia Matris ſuæ, & dicat omnis populus: Amen.* Cf. etiam Ezech. XXII. 11.

A) Ita-

A) Itaque ſenſus interdicti eſt, ne quis ſororem ſuam conſanguineam, & Levit. XX. 17. & Deut. XXVII. 22. ne quis ſororem ſuam conſanguineam vel uterinam in matrimonium ducat, aut cum ea commiſceatur: ſi qui id in ſe admiſerint, inter execrationes publicas morte afficiantur.

*) Quodcirca non diſerte hic matrimonio cum ſorore germana, i. e. cum ſorore ex utroque Parente, interdici, (licet hoc etiam connubium tacite ſimul atque ex conſecutione à minori ad majus, i. e. à gradu minus propinquo ad gradum propinquiorem prohibeatur,) patet ex eo, quod procline dictu Moſi fuiſſet: בת-אביך ואמך *filiam Patris tui & Matris tuæ*; id vero non dicat, ſed interpoſita Particula או: בת-אביך או בת-אמך, *filiam Patris tui* AVT *filiam Matris tuæ*, quod non niſi de ſorore vel conſanguineâ vel uterina intelligi poteſt.

β) Hoc

β) Hoc vero diſcriminis inter hoc & illud verſus 9. interdictum intereſſe, quod in illo verſu 9. ejusmodi ſorore vel conſanguinea vel uterina interdicatur, quæ non legitima ſit; in hoc autem 11. verſu, quæ ſit legitima, vel ex ipſis verſus 9. verbis haud obſcure colligi poteſt. Vid. ſupra interdictum III.

γ) Poſtremo, Minime hic, quod Sam. BOHLIVS olim in Tractatu contra matrimonium Comprivignorum, Roſtochii 1637. voluit, hoc interdicto Levit. XVIII. 11. matrimonium comprivignorum eo caſu & conditione prohiberi, ſi Noverca Patri etiam ſobolem pepererit, oſtendit;

*) quod Moſes hic *ſororem* dicit; comprivigna vero uſu loquendi Hebraico non magis *ſoror* dicitur, ac Noverca *Mater.*

**) quod iſto ſenſu Moſes dixiſſet: מולדת לאביך, *quæ peperit Patri tuo;*

tuo; non מולדת אביך *genitura Patris tui.*

***) quod comprivigna comprivigni non dici poteſt שאר בשרו, *Agnatum carnis ejus;* eo quod comprivigna alîus & Patris & Matris filia eſt.

****) quod neque ex eo, quaſi Moſes referendo vocem מולדת ad אשת אביך dixerit: Ne nuditatem filiæ uxoris Patris tui, מוֹלֶדֶת, i. e. quæ quidem (uxor) peperit Patri tuo; (ac ſi מולדת, tanquam Participium Conjugationis Hiphil, Activæ ſignificationis eſſet,) detegito &c. probari poteſt: ea comprivigna hic interdici, cujus Mater Patri quoque prolem pepererit; quia (quod firme ac ſine præfracta animi obduratione ex Act. VII. 3. coll. Gen. XII. 1. aſſero contendoque,) מוֹלֶדֶת hoc loco non eſt Participium Activæ ſignificationis, ſed Nomen Subſtantivum Genitivi Caſus, idque non

ad אשת אביך *uxorem Patris tui*, ſed ad בת *filiam* referendum, videl. hoc modo: *Nuditatem filiæ uxoris Patris tui*, *filiæ*, inquam, *geniture* ſ. generationis *Patris tui*, *ne detegito*; ſ. brevius: *Nuditatem filiæ Patri tuo ex Noverca tua genitæ ne detegito*. Ut ſic nihilominus huic interpretationi cum LXX. Virorum expoſitione, qui ſcil. מולדת ad ſenſum ita interpretati ſunt: ὁμοπατρία ἀδελφὴ σȣ ἐςιν, *ejusdem Patris tecum ſoror eſt*, optime conveniat. Vid. etiam ſupra ad Interdictum III. Obſervat. a)

B) Cæterum ratio, quæ huic interdicto Levit. XVIII. 11. ſubjungitur, & Levit. XX. 17. iteratur: *tua ſoror illa eſt*, rurſus magis ad propinquitatem ipſam, quam ad aliud quidpiam, quod vocatur, acceſſorii, reſpicit, & ſignificat: *ſoror tua eſt*, i. e. cui tu ad pietatem ac vitæ ſanctimoniam in honore atque auctoritate eſſe, eamque ſervare debes.

Obſerv.

Obferv. a) Scil. Deftinato confilio. Indecorum judicatur, naturam propinqui aut propinquæ contemplari, Gen. IX. 21—25. Multo ergo magis indecorum ac turpe fit, neceffe eft, cum propinqua fanguinis commifceri. Id cum, manfuetiores certe, gentes omnes omnibus temporibus agnoverint, rationis iftud judicium effe oportet, non educationis præjudicatam opinionem.

Obferv. b) Si *Probrum* eft, commifceri cum forore confanguinea aut uterina, & tale quidem probrum, propter quod DEus Cananæos ex terra Canaane extirpavit, & propter quod ab Ifraëlitis etiam hujus criminis reis fupplicium capitis fumi juffit; nullo certe modo matrimonium cum hujusmodi forore licitum effe, aut quisquam circa illud lege divina folvi poteft.

VI. Interdicitur AMITA.

VI. Interdicitur Levit. XVIII. 12. & Lev. XX. 19. matrimonio f. com-

mixtione cum AMITA i. e. cum Sorore Patris. Verba Levit. XVIII. 12. ſunt: עֶרְוַת אֲחוֹת־אָבִיךָ לֹא תְגַלֵּה שְׁאֵר אָבִיךָ הִוא׃ *Nuditatem ſororis Patris tui ne detegito; Agnatum Patris tui eſt.* Levit. XX. 19. vero: עֶרְוַת אֲחוֹת אִמְּךָ וַאֲחוֹת אָבִיךָ לֹא תְגַלֵּה כִּי אֶת־שְׁאֵרוֹ הֶעֱרָה עֲוֹנָם יִשָּׂאוּ׃ *Nuditatem ſororis Matris tuæ & ſororis Patrls tui ne detegito; nam* (qui detexerit,) *Agnatum* (carnis) *ſuum nudavit* a); *delictum ſuum ferunto.* b)

A) Duo matrimonia inceſta cum Amita ſ. Patris ſorore, & cum Matertera ſ. Matris ſorore Levit. XX. 19. uno verſu conjunctim vetantur, quibus Lev. XVIII. 12, 13. duobus verſibus ſeparatim interdicitur. Verba utriusque loci circa prius matrimonium inceſtum cum Amita qua ſenſum inter ſe conveniunt, niſi quod Levit. XVIII. 12. Amita dictione elliptica שאר pro שאר בשר *Agnatum carnis* PATRIS, ſed Lev. XX. 19. itidem elliptice שאר *Agnatum* car-

carnis FILII FRATRIS appelletur; quod indicio eſt, iſtam denominationem שאר, in ſenſu proprio ac ſtrictiori, non parentibus aut liberis &c. ſed conſanguineis, ut vocantur, collateralibus in gradu primiprimo, & in gradu primiſecundo, videl. fratri aut ſorori, Patruo & Amitæ, Avunculo & Materteræ, ut & affinibus proximis Lev. XVIII. 17. competere. Quod vero ſubjungitur: *delictum ſuum ferunto,* nihil aliud vult, quam ut propter crimen illud pœnas dent.

B) Rationes, quæ huic interdicto ſubjiciuntur, iterum non niſi ad cognationis cum Amita propinquitatem ſpectant, nimirum turpe ac dedecus eſſe, cum agnata hujus generis matrimonium contrahere aut commiſceri:

α) *Patris agnata eſt*, i. e. pudor enim eſt, ſororem Patris, cui etiam Patris nomine honorem atque obſervantiam debeas, nudare.

β) *Agnata eſt* (fratris filio; dicitur enim: את־שארו הערה *Agnatum ſuum denudavit*) i. e. cujus pudicitia inviolata & ſancta filio fratris eſſe debet.

Obſerv. a) *Agnatum ſuum nudavit.*] Id vetare, nullam neque ad cultum Leviticum, neque ad ſtatum Reip. Iſraëliticæ civilem rationem habuit, ſed ad morum populi Judaici conformationem unice ſpectavit. Ergo Adhucdum vetitum eſſe oportet.

Obſerv. b) Certe quidem, paulo minus culpæ habere, ſi in gradus propinquitatis, qui ultra fratres ac forores progrediuntur, turpe atque inceſtum aliquid committatur, quam ſi in citeriores gradus aliquid peccetur, ipſa legislatoris divini verba non obſcure innuunt. Sed ſi matrimonia in gradibus primis ac proximis contracta ſummam omnium deteſtationem atque horrorem merentur, etiam matrimonia, quæ in gradibus proxime ulterioribus & quaſi contiguis iſtis jun-

junguntur, tantum non æqualem deteſtationem mereri oportet. Sane vero par eſt, Chriſtianos, ut ſanctum DEi populum, in hoc genere impuritatum ac probrorum aliquanto plus horrere, quam quidem gentes extraneas horruiſſe conſtat.

VII. Interdicitur MATERTERA.

VII. Interdicitur Levit. XVIII. 13. ut & Levit. XX. 19. (cujus vero poſterioris loci verba paulo ante circa Interdictum VI. exſcripta dedimus,) matrimonio ſ. commixtione cum MATERTERA i. e. cum Sorore Matris. Verba divina Levit. XVIII. 13. ſunt: עֶרְוַת אֲחוֹת־אִמְּךָ לֹא תְגַלֵּה כִּי־שְׁאֵר אִמְּךָ הִוא: *Nuditatem ſororis Matris tuæ ne detegito; quia agnatum* (carnis) *Matris tuæ eſt.*

A) Plane hic idem gradus, ſed alius perſonæ eſt a), ac proxime antecedens;

quæ caufa eft, cur utrique non par modo interdictionis ratio fubjicitur, fed etiam Lev. XX. 19. eadem pœna adfcribitur.

B) Rationem vero interdicti legislator divinus hanc eandem dictitat:

α) quia שאר *Agnatum* (carnis) *Matris tuæ eft* b), h. e. quia proxima tuæ Matris agnata eft, cui tu etiam propter Matrem tuam obfervantiam atque honorem præftare debes,

β) Agnata eft (filio fratris fui; dicitur enim: את־שארו הערה *Agnatum fuum denudavit)* i. e. cujus nuditatem detegere, propter propinquam fanguinis cognationem, maximum probrum ac dedecus eft.

Obferv. a) Perinde itaque eft, utrum propinquitas cognationis a Patre originem trahat, an a Matre; ab Avo, an ab Avia.

Obferv. b) Ergo fi ratio Graduum prohibitorum in cognationis propinquitate,

te, non in alia extra eam re, poſita eſt; nec minus; ſi perinde eſt, utrum propinquitas illa a Patre originem trahat, an a Matre, parium propinquitatis graduum par etiam interdictionis ratio eſſe debet.

VIII. Interdicitur PATRVI UXORE.

VIII. Interdicitur Levit. XVIII. 14, ut & Levit. XX. 20, matrimonio ſ. commixtione cum PATRVI VXORE. Verba Levit. XVIII. 14. ſunt: עֶרְוַת אֲחִי־אָבִיךָ לֹא תְגַלֵּה אֶל־אִשְׁתּוֹ לֹא תִקְרָב דֹּדָתְךָ הִוא׃ *Nuditatem fratris Patris tui ne detegito, ad uxorem ejus ne appropinquato*; (quippe) *Amita tua eſt*. Levit. XX. 20, vero: וְאִישׁ אֲשֶׁר יִשְׁכַּב אֶת־דֹּדָתוֹ עֶרְוַת דֹּדוֹ גִּלָּה חֶטְאָם יִשָּׂאוּ עֲרִירִים יָמֻתוּ׃ *Quicunque concubuerit cum Amita* (i. e. cum uxore Patrui ſui) *ſua, nuditatem Patrui ſui detexit; peccatum ſuum ferunto, ſine liberis moriuntor.*

A) Ita-

A) Itaque prohibetur hic matrimonium ſ. commixtio cum uxore Patrui, quæ דודה quaſi Patrua, h. e. uxor Patrui, alias etiam Amita appellatur. Nam דוד non eſt alius, quam Patruus, quod Levit. XVIII. 14. aperte indicat. Sanctio pœnalis, qua legislator hoc matrimonio aut commixtione interdicit, hæc eſt: *Peccatum ſuum ferunto, orbi moriuntor*, q. d. inexpiabile hoc ſuum peccatum orbitate, qua DEus ſpeciali nutu ac facto id flagitium ulciſcetur, luunto.

*) Non enim veriſimile eſt: pœnam horum inceſtuoſorum in eo tantum poſitam fuiſſe, ut eorum ex hoc conjugio procreati liberi non ſecus atque in conjugio, quod nominari ſolet, levirali, Deut. XXV. 5, 6. non ipſis, ſed Patruo (ſic etiam juxta Levit. XX. 21. fratri mortuo) publice adſcribendi, ipſi contra, quemadmodum Rex Chania ſ. Jechonia Jer. XXII. 30. ſine liberis ſcribendi fuerint.

*) Ut

*) Ut enim taceam: filiorum Leviri primum tantum genitum fratri demortuo adscribendum fuisse, Deutron. XXV. 6.

**) Ut taceam quoque, Jechoniæ nihilominus liberos, quos habuit, publice adscriptos fuisse, 1 Paral. III. 15. Matth. I. 12.

***) Non dicuntur hujusmodi incestuosi ערירים יחשבו aut יכתבו *scribuntor aut reputantor orbi*, sed considerate cogitateque Lev. XX. 20. ערירים ימתו *orbi moriuntor*, & v. 21. ערירים יהיו *orbi sunto* s. erunt, h. e. pœnæ loco eveniet eis, ut sine liberis e vita discedant.

****) Quodsi vero verba Mosis isto sensu, quo alii volunt, accipienda essent, uxor hujus (atque alterius illius v. 21.) gradus incestuosa plane impunita abiisset; quippe cum alias liberi sub V. F. Patribus præcipue adscripti, aut sane ex incestibus quoque nati nihilominus Matribus suis accensiti fuerint, 1 Paral. II. 4. Matth. I. 3.

β) Mul-

β) Multo minus credibile est, incestuosos hujus atque alterius illius v. 21. gradus usu conjugii abstinere jussos fuisse;

*) quia DEus eos potius divortium facere edixisset,

**) neque illi, quod continuatum certe conjugium indicat, sine liberis futuri, aut orbi morituri esse dicerentur.

***) quia DEus generatim maritis interdixerat, ne de officio conjugiali erga uxores suas quicquam imminuant, Exod. XXI. 10.

γ) Omnium autem minime verba illa de capitis supplicio accipi possunt, quasi DEus hujus gradus incestuosos tolli e medio jussisset, antequam liberos procreaturi, aut dum incestuosa uxor adhuc gravida foret.

*) Ne dicam enim: nefas hoc de DEo cogitatu fore;

**) Etiam verba illa non sonant: עֲרִירִים יוּמָתוּ orbi occiduntor, sed יִהְיוּ.

יִהְיוּ f. עֲרִירִים יָמֻתוּ *orbi morientur*, f. *erunt.*

♂) Supereſt igitur, ut verba illa de tali orbitate accipiantur, qua DEus, ſua ipſum providentia atque numine iſtos inceſtuoſos puniturum ſe atque effe-cturum edixit, ut vel ſteriles illi atque effœti ſint, vel certe, etiamſi liberos procreaverint, mortuis tamen illis, ſine liberis e vita diſcedant.

*) DEus enim id ſæpe ſub V. F. ſingulari, atque ſi placet, miraculoſe etiam facto ſuo effecit, Gen. XX. 18. XVI. 2. XXX. 2. 1 Sam. I. 5. Add. 2 Sam. XII. 14.

**) Quin ſterilitas etiam illa ſeu orbitas diſerte in S. litteris in numero pœnarum divinarum, fœcunditas contra & liberorum copia in loco muneris divini ponitur, Hoſ. IX. 11—14. Job. XVIII. 19. Deut. VII. 14. & XXVIII. 41.

B) Rationes interdicti legislator divinus non minus a propinqua cum Patrui uxore affinitate repetens has ſubjungit,

a) quia

α) *quia est Amita tua* s. uxor Patrui tui, h. e. cujus naturam nudare ob propinquam ejus affinitatem flagitium ac dedecus est. a)

β) *quia est ruditas Patrui tui* b), q. d. quia Amita tua una cum Patruo tuo caro est, quæ proinde tibi propter Patruum etiam inviolata esse debet.

Observ. a) Ratio interdicti semper in eo ponitur, quod natura cognatæ aut affinis nudaretur, quæ שאר בשרנו *Agnatum carnis nostræ* est, h. e. proxima cognatione aut affinitate carnem nostram attingit. Quidni igitur vetitum adhuc judicandum sit, hujusmodi propinquam ducere, cum ratio propinquitatis etiam sub N. T. & semper eadem sit.

Observ. b) Nulla arctior conjunctio ac concretio potius est, quam uxoris cum marito. Quid ergo? Uxor mea præcipua ratione בשרי *caro mea* est, Eph. V. 29. Hanc proxime sequitur בשרי *caro mea*, Pater meus & Ma-

Mater mea, filius meus & filia mea: cæteri propinqui aut propinquæ meæ, qui proxime בשרי *carnem meam* attingunt, ſunt שאר בשרי *Reſiduum*, i. e. *Agnatum* ſ. *Adjunctum carnis* meæ, Levit. XVIII. 8. coll. v. 12, 13. & Lev. XX. 19.

IX. Interdicitur NURU.

IX. Interdicitur Levit. XVIII. 15. & Levit. XX. 12. matrimonio aut commixtione cum NURU. Verba divina Levit. XVIII. 15. ſunt: עֶרְוַת כַּלָּתְךָ לֹא תְגַלֵּה אֵשֶׁת בִּנְךָ הִוא לֹא תְגַלֶּה עֶרְוָתָהּ׃ *Nuditatem nurus tuæ ne detegito*; (quippe) *uxor filii tui eſt: ne detegito nuditatem ejus.* Et Levit. XX. 12. וְאִישׁ אֲשֶׁר יִשְׁכַּב אֶת־כַּלָּתוֹ מוֹת יוּמְתוּ שְׁנֵיהֶם תֶּבֶל עָשׂוּ דְּמֵיהֶם בָּם׃ *Et* (ſi ſit) *aliquis, qui concubuerit cum nuru ſua, morte plectantur ambo; inſaniam commiſerunt; culpam capitalem ſuam ipſi mortis ſupplicio luant.*

A) Senſus verborum planus atque evidens eſt. Interdicitur matrimonio aut commixtione cum nuru, i. e. cum uxore filii. Atque alterum quidem enuntiatum interdictionem continet, alterum vero pœnam conſtituit, ut, qui iſto inceſtu ſe polluerint, ad capitis ſupplicium trahantur; דמיהם בם *ſanguis eorum ſuper eis* enim dicit: ipſi ſuo, non alieno victimæ, ſanguine pro capitali ſua culpa violatæ legi divinæ ſatisfaciant.

B) Rationes interdicto ſubjunguntur:

α) *Quia uxor filii tui eſt*; q. d. cui tu ad pudicitiam ac ſanctimoniam vitæ dux atque auctor, & propterea in honore atque exiſtimatione eſſe debes.

β) *Quia inſania* (תבל, de quo vocabulo vid. Generos. Domini Equit. MICHAELIS Leges Matrimoniales, Cap. II. §. 19) *eſt*, q. d. quia, quod commiſerunt, omnium judicio horrendum ac deteſtabile flagitium eſt.

Ob-

Obferv. a) Nuditas uxoris eadem eft, quæ mariti, Levit. XVIII. 7, 8. 16. Ergo pro una carne reputantur.

Obferv. b) דמיהם *Capitale facinus eorum*] contra inceftus cum Patrui uxore tantum חטא *peccatum*, at certe חטא *peccatum* appellatur. Ergo Inceftus alius alio gravior ac deteftabilior eft.

X. Interdicitur FRATRIS UXORE.

X. Interdicitur Levit. XVIII. 16. & Levit. XX. 21. matrimonio feu commixtione cum FRATRIS UXORE. Verba divina funt Levit. XVIII. 16. עֶרְוַת אֵשֶׁת־אָחִיךָ לֹא תְגַלֵּה עֶרְוַת אָחִיךָ הִוא׃ *Nuditatem uxoris fratris tui ne detegito; nuditas fratris tui eft.* Et Levit. XX. 21. וְאִישׁ אֲשֶׁר יִקַּח אֶת־אֵשֶׁת אָחִיו נִדָּה הִוא עֶרְוַת אָחִיו גִּלָּה עֲרִירִים יִהְיוּ׃ *Et* (fi fit) *aliquis, qui duxerit uxorem fratris fui; probrum illud eft; nuditatem fratris fui detexit; orbi erunt.*

 A) Non

A) Non dubitari poteſt, quin hic matrimonio aut commixtione cum fratris vidua, aut cum uxore ejus matrimonio exturbata interdictum ſit.

a) Nam de uxore fratris, non cujusvis alîus popularis aut conſanguinei etiam remotioris gradus, ſermonem eſſe, argumento eſt,

*) Quod *Frater* hic in numero ejusmodi nominum propinquitatis ponatur, quæ omnia in ſenſu proprio ac ſtricto ponuntur.

**) quod, ſi nomen *Fratris* hic in ſenſu latiori de remotioribus conſanguineis intelligendum eſſet, illud aut eſſet de Patruo aut de patruele accipiendum. De Patruo autem accipi nequit, quia Patrui uxore & vice verſa leviri filio ſupra Levit. XVIII. 14. ut & XX. 20. expreſſis verbis interdicitur. Neque magis accipi poteſt de Patrueli (*Geſchwiſterkind*,) quia non cogitari poteſt, etiam patruelis uxore interdictum eſſe.

***) quod

***) quod remotioris consanguinei aut popularis significatus plane a scopo legislatoris divini alienus esset, utpote qui in hac lege matrimonio cum propinquis proximis, ceu incesto, non cum quibusvis aliis fœminis interdicere constituerat.

β) Neque sermonem hic solum esse de non rapienda aut vitianda fratris viventis uxore, docet,

*) quod in hac lege divina ratio habetur matrimonii cum proxima carnis non contrahendi; adulterio autem cum aliena uxore seorsim infra Levit. XVIII. 20. interdicitur.

**) quod verba ערירים יהיו *sine liberis erunt*, aperte, non de adulterio, sed de continuato potius conjugio loquuntur.

γ) Neque porro hoc interdictum ob jus illud, quod vocatur, leviratus, Deut. XXV. 5-10. restricte tantum, i. e. cum ea exceptione accipiendum fuisse: nisi frater improlis e vita decesserit;

quaſi ſcil. iſto caſu frater non ſolum ab obligatione hujus interdicti ſolutus, ſed obſtrictus etiam fuiſſet viduam fratris ſui ſine liberis mortui in matrimonium ducere. Namque jus illud, non ad fratres mariti ſine liberis demortui, ſed ad remotiores ejus conſanguineos, v. g. ad patrueles aut ad patruelium filios pertinuiſſe, his rationibus probatur:

*) quia extra controverſiam poſitum eſt, atque ab ipſis etiam adverſariis concedatur oportet: in illo conjugii, quod nominatur, leviralis edicto Deut. XXV. 5-10. vocabulum אחים *Fratres*, profecto, ſi non unice, certe tamen in ſenſu *ſimul* latiori, de conſanguineis quoque remotioribus accipiendum fuiſſe. Ipſi enim adverſarii edictum illud non aliter, niſi eo ſenſu interpretari poſſunt, ut, ſi maritus ſine liberis demortuus fratrem non habuerit, remotior ejus conſanguineus obſtrictus fuerit demortui uxorem ducere; quod

fa-

factum etiam olim ita fuisse, historia Ruthæ docet, Ruth. IV. 1. ss.

**) quia, quod jam secundo loco probamus, vocabulum אחים *fratres* Deut. XXV. 5. non etiam simul, verum unice consanguineos remotiores, v. g. patrueles aut patruelium filios (*Geschwister Kind, oder Geschwister Kinds-Kinder*) &c. denotavit, adeoque conjugium illud non leviri cum uxore fratris conjugium, sed agnati cum demortui agnati vidua fuit.

o) Propterea quod verba Mosis conjuncte, atque cum ea conditione efferuntur: QVODSI אחים *fratres una* i. e. in uno loco, *habitent* &c. v. 5. ista vero conditio de fratribus proprie dictis supervacue posita esset. Communiter enim filii cœlibes adhuc domi cum Patribus suis degebant, Cf. Gen. XI. 26—31. immo filii etiam matrimonio juncti, ceu hæredes Patris sui, plerumque unum locum incolere solebant. De agnatis vero eam opus magis erat

conditionem ponere, quia istos potius habitare in diversis locis facile aliquis casus ferebat.

oo) quia lege illa Levit. XVIII. 16. absolute ac sine ulla restrictione omni prorsus matrimonio cum fratris uxore prius interdicebatur, quam jus illud vulgo levirale dictum constituebatur; ut proinde censeri oporteat: aut Mosen (quod vero absonum esset dicere,) sibi ipsum contradixisse; aut jus illud non de fratribus proprie sic dictis, sed de cognatis interpretandum fuisse. Lex enim Levit. XVIII. 16. matrimonio cum fratris uxore, non propter rationem aliquam civilem, sed diserte propter propinquitatem carnis interdicit, videl. ***nam fratris tui nuditas est***, coll. v. 6. Unde etiam matrimonium istud, ceu nota maxime morali, nomine נדה *Probri* insignitur, Lev. XX. 21.

ooo) quia post etiam, cum lex de matrimonio cum fratris uxore prohibito lata esset, nullum amplius hujus matri-

trimonii exemplum in S. litteris occurrit.

oooo) quia vocabulum אח *Frater*, & Plur. אחים *Fratres*, in S. litteris V. F. tanquam propria denominatione, etiam filios fratrum, immo Patrueles quoque (*Geschwister - Kinder*) &c. significat, Gen. XII. 8. atque hinc de Patris etiam aut de Avi paterni fratre usurpatum olim fuit, Ruth. IV. 3. siquidem Elimelecus, Socer Ruthæ, frater Boasi & propioris illius Goëlis appellatur, qui tamen propioris hujus Goëlis, (ut taceam de Boaso,) vix Patruus, adeoque Mahlon, mortuus Ruthæ maritus, istius Goëlis propinquioris fortasse Patruelis tantum fuit. Quodsi enim Elimelecus ille propinquioris illius Goëlis frater germanus fuisset, parum hic spei, utpote grandæuus jam, facere potuisset, fore, ut Mahloni liberos suscitet. Quia vero Boasus de ducenda in matrimonium Rutha ita cum Goële isto agit, ut Mahloni ab eo, ducta ejus uxore, li-

beri ſuſcitentur, apparet, Goëlem iſtum vix Mahlonis potuiſſe patruelem fuiſſe, Ruth. IV. 1.

ooooo) Quibus non obſtat,

†) quod Thamar, nurus Judæ, duobus, alteri poſt alterum, fratribus nupta erat, immo tertio etiam filio Judæ nubere debuerat, Geneſ. XXXVIII. 6. ſs. Quia Juda id ante legem latam ex more Cananæorum ita inſtituerat, lex vero divina poſt demum Iſraëlitis edixit, ne ſe amplius conjugio iſto levirali contaminent, quia, etſi illud Cananæis, cæterisque populis confinibus ſolenne ſit, magnum tamen, in iſto quidem propinquitatis gradu, dedecus ac nefas ſit; ſed ut illud in ulteriorem propinquitatis gradum proferentes non niſi inter אחים patrueles aut eorum filios retineant & ſuum faciant.

††) Neque obſtat, quod Naëmi etiam, Socrus Ruthæ, jus illud levirale, quaſi

quasi ex more apud Israëlitas quoque recepto, de ducenda a fratre germano fratris improlis vidua acceperit, Ruth. I. 11, 12, 13. Quia Naëmi, quæ nec alias honestum ac decorum servavit satis, Cap. III. 3, 4. in ea re potius consuetudinem ac judicium Moabitarum, quam Israëliticum secuta est, atque etiam Israëlitæ tum temporis se ad mores Cananæos magis ac magis adjunxisse videntur, Jud. XXI. 5.

†††) Nec magis obstat, quod Sadducæi illi, qui fictum istum casum conjugii uxoris alicujus cum septem fratribus, altero alteri in matrimonio succedentibus Christo proposuerunt, matrimonium istud levirale similiter de fratribus, unius Parentis filiis, acceperint, Matth. XXII. 24—27. Marc. XII. 19-22. Luc. XX. 27—31. Quia etiam vocabulum illud ἀδελφος, ἀδελφοι secundum loquendi usum in libris N. F. non magis fratres germanos, quam cognatos denotat, Matth. XIII. 55. Luc.

Luc. VIII. 19. Joh. II. 12. &c. Sadducæorum etiam, quæ summa eorum ejusque temporis pravitas morum erat, Marc. VI. 17. judicium in ea re prorsus nihil valet.

††††) Neque tandem obstat, quod Deut. XXV. 5. diserte de uxore fratris sine liberis mortui dicatur : יבמה *Levir ejus ducat eam.* Quia vox יבם æque affinem remotiorem ac proximum seu Levirum designat, quod ex Ruthæ cum Arpa affinitate patet, quæ utpote יבמת Ruthæ vocatur, nec tamen Ruthæ nisi in altero genere affinis fuit, Ruth. I. 5.

oooooo) Ut proinde huic leviralis, quod nominari solet, juris expositioni ac sensui non tantum cum aliis S. litterarum locis aptius conveniat, v. g.

†) cum Marc. VI. 17, 18. ubi Johannes commemoratur Herodi matrimonium cum fratris uxore exprobrasse, ac dixisse: *Non licet tibi* (*ὐκ ἔξεστι σοι*) *habere uxorem fratris tui;* quod quidem Jo-

Johannes non videtur ideo exprobrasſe unice, quod Herodes eam a fratre ſuo abduxerit adhuc vivente, ſed quod fratris etiam uxor fuerit; quia Johannes non dixit: Nefas eſt, quod uxorem a fratre tuo abſtraxiſti; ſed, *non licet tibi* i. e. per legem, *habere eam* uxorem, ceu proximam affinem, ac fratris quidem uxorem. Nam Herodes publice eam ac ſolenni ritu commemoratur duxiſſe (*εγαμησε*) v. 17. quod itaque ille videtur voluiſſe recte facere, coll. v. 20. 26. propterea quod frater ejus, Philippus eam antea dimiſerit aut matrimonio exturbaverit. Quibus accedit, quod ipſa etiam vox *Fratris* ab Johanne notabiliter videtur dicta fuiſſe: *Non licet tibi habere uxorem* FRATRIS *tui*; quia æque Johanni promtum fuiſſet dicere: non licet tibi alienam ſ. alîus in matrimonio habere uxorem, aut: non licet tibi habere uxorem Philippi; nec non, quod Johannes Herodi non eam exprobrat ſolum duxiſſe (*εγαμησε*) verum

rum etiam, adhuc eam habere in matrimonio (ȣκ ἐξεϛι σοι ἐχειν αυτην); ac propterea voluiſſe videtur, non ut eam Philippus, quæ adulterium in eum commiſerat, in matrimonium reciperet, ſed ut Herodes eam, ceu fratriam lege divina prohibitam, e matrimonio miſſam faceret.

††) Nec minus cum Num. XXXVI. 10, 11. ubi filiæ Zelophchadis dicuntur ſecundum præceptum Moſis (non Patruis ſuis, ſed) *filiis Patruorum ſuorum* (לבני דודיהן) nupſiſſe.

†††) Quin cum ipſo etiam Moſis illo edicto Deut. XXV. 5. כִּי יֵשְׁבוּ אַחִים יַחְדָּו
וּמֵת אַחַד מֵהֶם וּבֵן אֵין־לוֹ לֹא־תִהְיֶה
אֵשֶׁת־הַמֵּת הַחוּצָה לְאִישׁ זָר יְבָמָהּ יָבֹא
עָלֶיהָ וּלְקָחָהּ לוֹ לְאִשָּׁה וְיִבְּמָהּ׃ *Quodſi habitaverint fratres* (i. e. agnati v. g. patrueles aut patruelium filii &c.) *in uno loco, & mortuus fuerit unus ex illis, neque filius ei fuerit, non fiat uxor mor-*

mortui foras viro alieno; sed affinitate ei junctus conveniat eam, & sumat eam sibi in uxorem, & qua affinis ducat eam. Quicquid enim hic alii pro Leviro afferant, indubitatum tamen & extra omnem controversiam positum est, vocem אחים hoc loco *Agnatos* denotare.

δ) Neque tandem interdictum hoc de non ducenda fratris uxore ad V. tantum F. pertinuisse, (nimirum ne frater ob licentiam divortii uxorem a fratre abducere in animum inducat,) sed adhuc Christianos sub N. F. obligare, neque a Magistratu Politico cuiquam, quacunque de causa sit, matrimonium cum fratris vidua recte solutum dari, probatur,

*) quod in hac, quemadmodum & in cæterorum cum propinquis matrimoniorum incestorum interdictione semper ratio habetur propinquitatis carnis, non alius extra eam cujuspiam causæ, (vid. Observationes præcedentes) atque uxor fratris non minus שאר בשר *Residuum* i. e. *Adjunctum* car-

carnis eſt, ac Patrui uxor, Levit. XVIII. 14. (§. XII. Canon V.) adeoque pariter in generali illo interdicto continetur, v. 6.

**) quod matrimonium cum fratris uxore ideo נדה *res deteſtanda* appellatur, quia fratris nuditas detegitur; iſte vero reſpectus nullo tempore mutari poteſt.

ι) Cæterum, quod, qui iſto inceſtu ſe polluerint, dicuntur *ſine liberis fore*, eum ſenſum habet: DEo dirigente futurum eſſe, ut aut nullos liberos procreent, aut, ſi quos procreaturi ſint, iis orbentur. a) Vid. Interdictum VIII. A).

B) Rationes, quas Moſes matrimonio illi cum fratris uxore prohibito ſubjungit, hæ ſunt:

α) *quia nuditas fratris tui eſt*, q. d. quia fratria tua cum fratre tuo una caro eſt; cujus itaque pudicitia propter iſtam propinquitatem tibi inviolata eſto.

β) quia

β) quia tale matrimonium aut commixtio נדה *Probrum, res fugienda est,* h. e. quia pudor ac dedecus est, cum fratris uxore, ceu cum affine tam propinqua, matrimonio jungi. b)

Observ. a) Pœna in incestuosos cum Patrui uxore, atque in incestuosos cum fratris uxore par constituitur; nimirum quod matrimonium illud cum Patrui uxore plus culpæ habet, propter observantiam, quæ Patruo debetur aut ejus uxori; hoc vero matrimonium cum fratris uxore plus culpæ habet propter propiorem affinitatem.

Observ. b) Si matrimonium cum fratris uxore ideo *Probrum* esse declaratur, quia fratris nuditas detegitur; nulla illud ratio civilis justum aut honestum reddere potest, multo minus Moses propter ullam causam genealogicam illud præcipere.

XI. Interdicitur PRIVIGNA, PRIVIGNI aut PRIVIGNÆ FILIA, ut & SOCRV.

XI. Interdicitur Levit. XVIII. 17. & XX. 14. matrimonio aut commixtione cum PRIVIGNA, aut cum FILIA PRIVIGNI vel PRIVIGNÆ, item cum SOCRV. Verba divina ſunt Levit. XVIII. 17. עֶרְוַת אִשָּׁה וּבִתָּהּ לֹא תְגַלֵּה אֶת-בַּת-בְּנָהּ וְאֶת-בַּת-בִּתָּהּ לֹא תִקַּח לְגַלּוֹת עֶרְוָתָהּ שַׁאֲרָה הֵנָּה זִמָּה הִוא׃ *Nuditatem uxoris & filiæ ejus ne detegito; filiam filii ejus aut filiam filiæ ejus ne ducito, detegendo nuditatem ejus; agnatum* (carnis) *ſunt illæ: Proſtitutio pudicitiæ eſt.* Levit. XX. 14. hæc: וְאִישׁ אֲשֶׁר יִקַּח אֶת-אִשָּׁה וְאֶת-אִמָּהּ זִמָּה הִוא בָּאֵשׁ יִשְׂרְפוּ אֹתוֹ וְאֶתְהֶן וְלֹא-תִהְיֶה זִמָּה בְּתוֹכְכֶם׃ *Et* (ſi fuerit) *vir, qui duxerit uxorem & matrem ejus; proſtitutio pudicitiæ hæc eſt; comburunto igne*

igne eum & eas. Neque esto prostitutio pudicitiæ in vobis.

A) Nonnihil discriminis inter hæc atque illa verba interest: videl. Levit. XX. 14. matrimonio cum uxore, & postea ejus matre interdicitur; Levit. XVIII. 17. vero non solum matrimonio cum uxoris filia, i. e. cum privigna, sed matrimonio etiam cum uxoris nepte, i. e. cum filia privigni aut privignæ interdicitur. a) Deinde Levit. XVIII. 17. privigna, nec non filia privigni aut privignæ appellantur Vitrici שארה (in singulari Numero) *Agnatum* carnis, quia ambæ ad eandem uxoris familiam pertinent. b) Postremo Levit. XX. 14. pœna etiam in matrimonium istud incestum constituitur, quo contra Levit. XVIII. 17. sicut & reliquis matrimoniis incestis, simpliciter tantum interdicitur. Ambo autem edicta in eo conveniunt, quod matrimonium illud cum uxoris matre, vel illud cum filia, aut cum nepte

pte uxoris, זמה *Prostitutio pudicitiæ*, in utroque appelletur, scil. prostitutio propinquæ ejus generis, cujus pudicitia, tutoris etiam nomine, defendi atque custodiri debet.

B) Rationes huic interdicto subjunguntur:

α) *quia illæ* שארה *Agnatum* (carnis i. e. tuæ) *sunt*, q. d. quia sunt carnis uxoris tuæ, quæ tecum una caro est, ut propterea religio tibi sit, cum iis commisceri.

β) *quia* hujusmodi matrimonium aut commixtio זמה *Prostitutio pudicitiæ est*, i. e. quia summum flagitium est, cum ea commisceri, cujus tu pudicitiæ tutor ac vindex esse debes. De voce vero זמה vid. Generos. Domini Equit. MICHAELIS Leges matrimoniales Mosaicas Cap. II. §. 19. 1.)

Observ. a) Ex eo itaque colligitur recte: In consanguinitate vel & affinitate lineæ rectæ primi generis matrimonia in remotioribus etiam posterorum gradibus, immo in infinitum esse prohibita.

Ob-

Obferv. b) Ratio prohibiti hujus matrimonii iterum ab affinitate Vitrici cum privigna nimis propinqua petitur.

XII. Interdicitur SORORE VXORIS.

XII. Poftremo loco interdicitur Levit. XVIII. 18. matrimonio aut commixtione cum SORORE VXORIS. Verba divina funt: וְאִשָּׁה אֶל־אֲחֹתָהּ לֹא תִקָּח לִצְרֹר לְגַלּוֹת עֶרְוָתָהּ עָלֶיהָ בְּחַיֶּיהָ׃ *Et uxorem ad fororem ejus ne ducito, zelotypiam movendo, detegens nuditatem ejus juxta eam, dum vixerit.*

A) In varias hoc divinum interdictum diftractum eft controverfias. Quare

a) excuffis prius potiorum, quibus conftat, vocabulorum fignificatibus, poft expofitiones ejus minus firmas aut congruentes removebimus, tum genuinam ac firmiorem ejus explicationem fubjiciemus ac probabimus.

 *) Du-

*) Ducere uxorem *ad* (אל) ſororem nihil poteſt aliud denotare, ac juxta uxorem, quam quis antea jam in matrimonio habuit, etiam ſororem ejus ſibi matrimonio jungere. Deinde

**) לצרר aut eſt Infinitivi Modi a Verbo צרר *Ligavit*, *colligavit*, & ſignificat *ad ligandum*, *colligandum*, *conſtringendum*, ſcil. uno matrimonio etiam ſororem ejus; quo in ſignificatu non ſolum occurrit, Hoſ. IV. 19. XIII. 12. Prov. XXVI. 8. Joſ. IX. 4. 2 Sam. XX. 3. verum etiam accommodate ad rem uxoriam apud Arabes adhuc in uſu eſt, videl. أَضَرَّ in IV. Conj. *Uxorem uxori addidit* Polygamus; ضِرّ *Matrimonium, quo uxor ducitur juxta aliam adhuc ſuperſtitem;* ضَرَّة *Mulier, quæ cum alia communem habet virum,* (Hebr. צָרָה) 1 Sam. I. 6. 18. مُضِرّ *Qui uxorem uxori alteri conjunctam habet*, &c. Vid. Caſtelli Lexic. Heptaglott. it. Golij

lij Lexic. Arabicum ad Rad. צרר. Aut significatu ab illo priori deducto denotat: *ad Arctandam, angustiis afficiendam, angustandam*, scil. uxorem tuam; quod porro accommodatum ad rem uxoriam diceret: *zelotypiam movendo*, nimirum uxori tuæ; quemadmodum etiam apud Arabes ضَرَّة denotat *Zelotypiam* (vid. Castelli Lexic. l. c. nec non Generos. Domini Equit. MICHAELIS Leges matrimoniales Mosaicas Cap. VII. §. 78. 2.) Num. X. 9. XXXIII. 55. Job. XXVI. 8. Ps. CXXIX. 1. Aut denique, tanquam Nomen Substantivum צרר cum Præfixo ל conjunctum, notat: *ad Fasciculum* s. *colligatum*, Gen. XLII. 35. Prov. VII. 20. quasi *ad Par uxorum*. Sed enim postremus significatus Nominis substantivi minus congruit cum consecutione reliquorum verborum; quia aut cum ה Emphatico diceretur: לַצְּרֹר, aut ei junctum esset aliud Nomen Substantivum Rectum; nec magis qua sensum

cum dictis congruit, videl. ad Par uxorum — dum vixerit; quia hoc ſenſu verba poſteriora prorſus redundarent. Neque apte ſatis ſignificationi *Ligavit, colligavit*, cum reliquis verbis convenit, videl. *Colligando eam cum ſorore — dum vixerit;* quia לצרר ſuo careret caſu ac Præpoſitione עם *Cum.* Ergo alter potius ſignificatus: *Anguſtiis affecit, anguſtavit*, aut qui propius abeſt ab re uxoria, *zelotypiam movit*, huc pertinet; nempe *zelotypiam ei faciendo — dum vixerit.* Hocque modo

עליה nullum alium ſenſum habere poteſt, quam *Juxta* aut *Præter eam*, ſcil. Uxorem tuam; &

בחייה neceſſario ad אחותה referendum eſt, i. e. *dum vixerit* ſoror ejus, uxor tua; quia, ſi ad אשה *uxorem* referretur, in caſſum diceretur: *dum vixerit*, puta, uxor illa ſuperinducta in matrimonio.

β) Itaque verba hujus interdicti

*) non

*) non eum ſenſum habent, ac ſi iis generatim digamia aut polygamia interdiceretur, in hunc modum: *Et uxorem alteram ad alteram ne ducito, ad anguſtandum* ſ. *affligendum* (uxorem tuam,) *detegendo nuditatem ejus juxta eam, in vita ejus*, ſ. dum vixerit.

†) Quanquam enim אחות alias ſæpe in S. litteris *Sociam* aut *Alteram* denotat; primo tamen hic in numero ejusmodi propinquitatis nominum reponitur, quæ omnia in ſenſu proprio ac ſtricto dicuntur, quin pro ſcopo Legislatoris divini non aliter, quam in ſenſu proprio accipi aut intelligi poſſunt; ut proinde etiam voci אחות proprius ejus ſenſus *Sororis* tribui hoc loco debeat.

††) Nullibi in S. litteris V. F. digamia aut polygamia interdicitur; vel potius illa a Moſe Iſraëlitis libere permiſſa erat, 1 Sam. I. 1. ſs. 2 Paral. XXIII. 3. Deut. XXI. 15—17. &c. Ergo Nec hoc loco digamia aut polygamia interdictum eſſe poteſt.

**) Neque eum quoque ſenſum verbis hujus interdicti divini recte tribuemus; Quia interdicatur: ne ſoror uxoris in matrimonium ducatur, dum uxor vivat, certe licitum eſſe, ducere eam, ſi uxor mortua ſit.

†) Nam ſoror uxoris, quicquid contra diſputetur, tum mariti ſororis שאר בשר *Agnatum carnis* eſt, (§. XII. Canon V.) tum in numero שארי בשר *Agnatorum carnis*, a quibus omnino & propter propinquitatem carnis abſtinendum eſt, refertur, Levit. XVIII. 6—18. Licet vero uxor moriatur, ſoror ejus nihilominus mariti ſoror שאר בשר *Agnatum carnis* eſt & manet, i. e. eandem erga maritum ſororium propinquitatis rationem retinet, non ſecus ac privigna erga Vitricum, aut nurus erga Socerum, etiamſi privignæ Mater, uxor Vitrici, aut maritus nurus, Soceri filius, mortuus fuerit, v. 15. & 17. Ergo ſemper & mortua etiam uxore, matrimonio

nio cum uxoris ſorore interdictum eſt & manet.

††) Si viro, mortua uxore, ducere uxoris ſororem liceret, facile is, vivente adhuc uxore, in animum inducere poſſet, ut, ſi ſpem concipiat, uxorem ſuam nihil zelotypiæ adverſus ſororem ſuam habituram eſſe, cum uxoris ſuæ ſorore vel matrimonium contrahat, vel certe furtivis amoribus indulgeat; ne dicam, eum incitari etiam animo poſſe, ut, quo ſorore uxoris ſuæ eo facilius & citius potiatur, vel uxorem repudiet, vel quod pejus eſſet, veneno eam tollat. Judicandum igitur eſt, interdicto hoc, ad præcavendas quoque iſtas libidines & facinora, non ſolum matrimonio cum duabus ſororibus ſimul, verum etiam cum altera poſt alteram prorſus interdictum eſſe.

†††) Vox בחייה *in vita ejus*, quod ex accentibus colligere licet, non ad תקח *ducito*, neque ad ערותה לגלות *de-*

tegendo nuditatem ejus, ſed ad לצרר *zelotypiam movendo*, referenda eſt. Nempe quia legislator divinus indicare tantummodo vult, quid ex ejusmodi conjugio conſecuturum eſſet, fore ſcil. ut hujusmodi uni viro nuptæ ſorores ad ſummum mariti tædium atque incommodum, per totam vitam ſibi mutuo invideant; eam ob cauſam multo etiam magis matrimonio cum duabus ſororibus ſimul interdicit. Videntur enim Iſraëlitæ, ceu exemplum Jacobi, progenitoris ſui, cujus utpote magna apud eos auctoritas erat, imitantes admodum ad matrimonium cum duabus ſimul ſororibus proclives fuiſſe. Itaque cum Moſes non unam illam ac ſolam cauſam verbis iſtis לצרר בחיה *zelotypiam movendo, dum vixerit*, ſed eam ſimul, quia ſoror uxoris in numero שארי בשר *Agnatorum carnis* eſt, affert, cur vir a matrimonio cum uxoris ſorore abſtinere debeat; neque celebratus ille hic canon applicabilis eſt: ceſſante cauſa

ceſſat

ceſſat etiam effectus, i. e. ceſſante cauſa interdicti ceſſat etiam interdictum; neque ex eo, quod Moſes multo etiam magis matrimonio cum duabus ſimul ſororibus prohibet, colligi poteſt: ergo, ſi uxor mortua, neque perpetua illa & ſempiterna inter uxorem ejusque ſororem amplius zelotypia timenda ſit, viro liberum eſt, ſuæ uxoris ſororem ducere. Perinde enim eſſet, ac ſi quis ita vellet ratiocinari: ex rapinis ac furtis, quæ inſpectantibus rerum dominis patrentur, rixæ & cædes conſequi ſolent. Ergo Licet alienam rem ſurripere, ſi dominum rei id lateat. Aut ita: Interdictum eſt, ne quis uxorem *&* Matrem ejus in matrimonium ducat, i. e. ne uxorem Matri in conjugio jungat. Ergo Licitum eſt, filiam uxoris ducere, ſi uxor mortua ſit, aut ducere uxoris Matrem, ſi uxor, filia ejus, mortua ſit. Semper enim nefas eſt, uxoris ſororem ducere, quia eſt propinqua carnis; ſed multo etiam magis nefas, uxorem

ejus-

ejusque ſororem ſimul in matrimonio habere, quia ex ejusmodi matrimonio nil niſi mutua zelotypia, odium ac rixæ conſequi ſolent. Quamobrem ex verbis Moſis non plus inferri poteſt, quam hoc: Præter id, quod propter propinquitatem carnis inhoneſtum inceſtumque eſt, mortua uxore ſororem ejus in matrimonium ducere, multo etiam imprudentius, immo inceſtum quoque magis eſt, uxorem ejusque ſororem ſimul in matrimonio habere, quia ex tali etiam conjugio nil niſi perpetuæ rixæ ac diſſidia conſequi ſolent. Soror uxoris ratione propinquitatis aut affinitatis habita uno tantum gradu remotior eſt, quam uxoris Mater aut filia; ſi vero uxore mortua, inceſtum eſt, uxoris vel Matrem vel filiam in matrimonium ducere, atque adeo quidem inceſtum, ut, qui tale matrimonium contraxerint, igne comburendi ſint, certe nefas etiam facturi eſſent ii, qui, mortua uxore, ſororem ejus ſibi matrimonio

nio

nio jungerent. Quod proinde efficit, ut matrimonio cum duabus ſororibus, cum altera poſt mortem alterius, jungendo ob propinquitatem carnis, quæ in omnibus prohibitis gradibus communis ac principalis ratio interdictionis eſt, Levit. XVIII. 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17. nihilominus interdictum maneat. Quod vero Moſes hic videatur, matrimonio tantum cum duabus ſororibus ſimul jungendo interdicere, certe quidem interdicere præcipue, ea ratio eſt, quia Iſraëlitæ ad exemplum Jacobi, progenitoris ſui, tum temporis adhuc videntur id matrimonium in more habuiſſe, aut ſane ad illud valde fuiſſe proclives.

††††) Tandem etiam, ſi vel maxime Moſes matrimonio cum duabus ſororibus non niſi ſimul ducendis interdiceret in hoc verſu, (id vero per ἐπιτροπὴν tantum dico, non ex animi ſenſu,) quod certe ideo feciſſe videretur, ut præcipue Iſraëlitarum; qui

in

in id genus conjugii ob numerosæ prolis cupiditatem valde propensi erant, procacitatem ac libidines circa probrum istud coërceat ac reprimat; tamen

o) quia ipsa quoque permissio polygamiæ, non secus atque illa divortii ob levem aliquam causam libertas, Mosis, non DEi, indulgentia fuit, Marc. X. 2—12. sic hæc quoque permissio Mosis fuisse videretur, non DEi.

oo) quia porro Moses interdicto huic matrimonio cum duabus simul sororibus non diserte subjungit: contra, si uxor mortua fuerit, liberum esto, uxoris sororem ducere; sed in eo Israëlitis tacite tantum atque ægre quidem & coacte quasi connivisse videretur;

ooo) quia conjugii etiam cum duabus sororibus succedanei nullum amplius in S. litteris V. F. exemplum legitur, atque hinc verisimile videretur, vel ipsum postea Mosen, si id Levit. XVIII. 18. non fecisset, hujusmodi interdixisse

xiſſe matrimonio, vel certe Iſraëlitas, utpote de ſenſu Moſis magis ac magis edoctos, ipſos a ſe ſuccedaneo illo cum duabus ſororibus matrimonio, propter propinquitatem carnis abſtinuiſſe;.

oooo) quia tantum abeſt, ut ſub Novo Fœdere, quod ad conjugium & rem uxoriam pertinet, Chriſtianis liberior licentia data ſit; ut potius ſolutior illa V. F. libertas a Chriſto atque Apoſtolis ejus ſub N. F. reſtricta etiam magis atque intra antiquos inſtituti divini limites revocata ſit, Matth. V. 27—32. XIX. 3—12. Marc. X. 2—12. Act. XV. 29. 1 Cor. VII. 2. quin major etiam tum animi, tum corporis puritas a Chriſtianis ſub N. F. poſtuletur (vid. ſupra §. V.) adeo, ut certo judicandum ſit, matrimonium cum duabus ſororibus etiam ſuccedaneum ſine omni dubitatione a Chriſto aut ejus Apoſtolis, ſi modo eis occaſio oblata fuiſſet, improbatum ac damnatum fuiſſe: exploratum & ſupra omnem dubi-

tationem positum est, matrimonium cum duabus sororibus etiam succedaneum Christianis sub N. F. ob propinquam affinitatem divinitus vetitum esse.

γ) Itaque, quanquam verba Mosis in hoc versu 18. proxime tantum matrimonio cum duabus simul sororibus interdicere videntur, plenus tamen eorum & propter nexum eorum cum reliquis Gradibus prohibitis non obscure propositus sensus etiam matrimonio cum duabus sororibus succedaneo propter propinquitatem aut affinitatem carnis prohibet; quasi verba Mosis ita sonarent: *Neque tu uxorem & sororem ejus* (cf. v. 17.) *ducito. Ducere vero eas simul, multo etiam magis nefas est, quia ex tali conjugio meræ, dum uxor adhuc vixerit, rixæ ac zelotypia inter eas consequentur.*

§. XIV.

§. XIV.

Obligationi G. P. *ſub N. F. oppoſita argumenta diluuntur.*

Quorum ſub V. F. Graduum prohibitorum obligationem, tum qua Iſraëlitæ olim obſtringebantur, tum qua nunc Chriſtiani ſub N. F. tenentur, fruſtra impugnant, quicunque eam vel omnino negare, vel elevare ſaltem variis argumentis nituntur.

Objectio I. Primo fruſtra objicitur: *Quia Deus natos Adami ſiverit ſorores ſuas in matrimonium ducere, immo per eorum matrimonia ipſe voluerit terram incolis impleri*, Gen. I. 28. *argumento id eſſe, interdictum Graduum prohibitorum non eſſe legis naturalis, vel illud non omnes homines aut omnibus temporibus obligare, certe imperantes ob graves cauſas obligatione illius adhuc ſolvere recte ac jure poſſe.*

 Nam

Nam Resp. *a*) Legum etiam naturalium contingere poteſt colliſio, ita, ut vel eas neceſſitati immutabili, vel graviori alicui legi cedere oporteat. Exinde vero non inferri aut colligi poteſt: leges illas non eſſe naturales. Sic enim lege naturali vetitum eſt, alium interficere; nec tamen minus jus inculpatæ tutelæ, quod alium interficere, ſi vita aliter ſervari nequeat, non permittit modo, ſed jubet etiam, naturale eſt. Licet itaque duæ leges in colliſionem veniant naturales, nihilo tamen minus illæ naturales manent. Pari modo nati primorum noſtrorum parentum deficientibus aliis fœminis neceſſe habuerunt, ſuas in matrimonium ſorores ducere, nimirum ut tam ſe, quam ſuum etiam genus conſervent. Inde tamen minime inferri poteſt: ergo Leges Graduum prohibitorum non ſunt naturales. Quamvis enim non ſint naturales in in ſenſu abſoluto, naturales tamen ſunt



ſunt in ſenſu hypothetico, i. e. ſi aliæ ſuppetant fœminæ.

β) Itaque cum jam ad conſervandum hominum genus in hodierna fœminarum multitudine non opus amplius ſit, proximas ejusmodi cognatas ducere; interdictum Graduum prohibitorum & omnes homines & omnibus nunc temporibus obligat, neque imperantes quenquam, quacunque de cauſa, obligatione divini illius interdicti recte poſſunt exſolvere.

Obj. II. *Etiam Abrahamum conſanguineam ſuam ſororem Saram in matrimonio habuiſſe,* Gen. XX. 11, 12, 13. *quod matrimonium DEus non toleraverit modo, ſed benignisſime etiam beaverit: matrimonium certe cum ſorore ex uno parente non pugnare cum lege naturali, ac potius liberum eſſe debere; quanto magis matrimonia in remotioribus gradibus.*

Nam Reſp. α) Negari quidem non poteſt: Saram Sororem Abrahami fuiſſe conſanguineam. a) quia Ægytiis, &

post Philiſtæis ſimulatione illa perſuadere debebat: licet Abrahamo in iſta peregrinatione juncta ſit, eoque familiariter aliquantum utatur, ſe tamen minime ejus uxorem, ſed ſororem modo eſſe. Sed Sara fruſtra eis perſuadere conata fuiſſet: licet familiarius Abrahamo utatur, ſe tamen, quod ex eo facile colligi queat, quia aperta facie in publico verſetur, minime uxorem, ſed tantum cognatam ejus eſſe, Cf. Gen. XX. 16. Cognatas enim non decebat, cognatis ſuis familiarius uti, magis vero fratribus ſuis ſorores. b) Quia ipſe Abrahamus ſerio poſtea ac ſine fuco declarabat: *eam revera ſuam ſororem eſſe, quippe cum eodem, atque ipſe, Patre, ſed alia Matre, nata ſit*, Gen. XX. 12. c) quia Abrahamus illa ipſa ſimulatione ac fictione: Saram duntaxat ſuam ſororem eſſe, Abimeleco maxime, cui utpote matrimonium cum ſorore inceſtum videri potuiſſet, perſuadere volebat: Saram itaque, ceu ſororem ſuam, non

poſt

poſſe ſuam quoque uxorem eſſe. Id vero ſi Abrahamus de ſorore improprie ſic dicta i. e. de cognata perſuadere voluiſſet, non inanis modo, ſed etiam ineptus conatus fuiſſet. d) Quia, quod magis etiam eſt, Abrahamus matrimonium ſuum cum ſorore, quod Abimeleco, Regi illi Gerarenſi, ſceleſtum videri poterat, hac ratione addita excuſare ſuſcipiebat: licet Sara ſoror ſua ſit, ſe nihilo tamen minus eam uxorem accepiſſe, quia illa eodem quidem cum ipſo Patre, ſed alia, atque ipſe, Matre uſa ſit, Gen.XX. 12. Quanquam autem Sara Abrahami & uxor & ſoror conſanguinea fuit, minime tamen exinde inferri poteſt: licere igitur, ſi dignæ & graves cauſæ adſint, ſororem ſuam, certe quidem conſanguineam aut uterinam in matrimonio habere.

β) Quia Abrahamus Saram multo ante legem latam uxorem duxit;

 γ) Quia

γ) Quia eam uxorem duxit, cum adhuc cum Patre suo in Charane habitasset, Gen. XI. 28—31. ac duxit quidem ejusmodi hominum ætate, qua non solum hujus generis matrimonia raro ac parum in religionem veniebant, verum etiam cultus falsorum DEorum atque imaginum supra modum invaluerat, Gen. XI. 28.

δ) Neque vero Abrahamus, recte se sororem suam in matrimonium duxisse, defendebat, sed ipse, eam sibi inceste, certe quidem contra, quod fas esset, nupsisse, judicabat; namque facto suo eam modo honesti speciem, quasi illud purgaturus, prætexebat: licet ea soror ipsius sit, eam tamen alius, atque ipsum Matris natam esse.

ε) Quin Abrahamus ipse quoque factum illud excusaturus non sine metu reprehensionis, quam certe isto matrimonio promeruerat, ita narrat: *Revera autem soror mea est. Nam filia quidem Patris mei, sed non filia Ma-*

tris

tris meæ est, & facta est mihi uxor; quasi dicere voluisset: & nihilominus facta est mea uxor, Gen. XX. 12.

5) Quamvis etiam Abrahamus in matrimonio cum sorore sua consanguinea vixerit, id tamen de lege divina Graduum prohibitorum nihil prorsus derogat, quia DEus id, utpote ante legem latam, atque ea quidem impia hominum ætate, primum toleravit modo, postea vero, cum Abrahamus ad veram in DEum pietatem resipuisset, ut toleratum a se etiam beavit. Initio certe Abrahamus incesti hujus matrimonii pœnam videtur sterilitate uxoris suæ dedisse. Si quis jam ex hoc Abrahami conjugio inferre vellet: ergo Hujusmodi matrimonia & tunc temporis & nunc etiam sub N. F. tantum non soluta & libera, certe tamen permissa erant, & adhuc ob graves causas permitti possunt; perinde faceret, ac si argumentari vellet; Quia DEus ex incestu Judæ cum Thamare,

nuru ejus, Meſſiam voluit ortum ſuum habere, inceſtum illum plane etiam probavit. DEus iſta, & quæ eam conſecuta eſt, hominum ætate multa ejusmodi facta, ceu ante legem latam, moderatiſſime toleravit, Gen. XI. 29. XVI. 2, 3, 4. XIX. 30—38. XXVI. 7—11. XXIX. 22—30. XXX. 37—43. XXXVIII. 13—26. &c. quæ deinde poſt legem latam ſeveriſſime punivit. Cf. etiam Rom. V. 13.

Obj. III. *Etiam Othnielem fratris ſui Calebi filiam, Achzam, in matrimonio habuiſſe. Ex quo itaque conſequatur: obligationem Graduum prohibitorum non prorſus indiſſolubilem eſſe, vel certe interdictum divinum non de paribus propinquitatis gradibus, ſed tantum de perſonis diſerte nominatis eſſe exponendum.*

Nam Reſp. Othniel, filius Kenazi, non fuit frater Calebi; quippe Calebi Pater Jephunnes, non Kenaz, appellatur, Deut. I. 36. Joſ. XIV. 6. 1 Paral. IV. 15. Neque Calebus etiam filius Ke-

Kenazi fuit. Nam Kenazi filii Othniel & Seraja appellantur, 1 Paral. IV. 13. Ergo verba illa Jos. XV. 17. Jud. I. 13. sic exponenda sunt: *Et cepit eam* (i. e. urbem Kiriath-Siphram) *Othniel, filius Kenasi, fratris Calebi, natu ejus minimi; & Othniel duxit Achzam*, Patrui sui filiam (non filiam fratris sui.)

Obj. IV. *Qui etiam Amramus, Pater Aaronis & Mosis, Jochebedam, Amitam suam, scil. Patris sui Kahathi sororem, filiam Levi in matrimonium duxerit,* Exod. V. 20. Num. XXVI. 59. *cum qua tamen in hac de Gradibus prohibitis lege divina* Levit. XVIII. 12. *fratrueli* i. e. *fratris filio interdictum matrimonio sit; sequi, gradus illos propinquitatis a Mose recensitos, si non prorsus ad matrimonium mutuum liberi sint, non omnibus tamen hominibus aut omnibus temporibus prohibitos esse.*

Nam Resp. *a*) Non verisimile est, Jochebedam filiam Levi fuisse, atque hinc Am-

Amrami Amitam; quia necesse esset, Levim eam genuisse centum & triginta amplius annos natum, vid. Generos. Domini Equit. MICHAELIS Leges matrimoniales §. 36. Proinde בת לוי Num. XXVI. 59. non sonat *Filia*, sed *Neptis* Levi; nec דדה Exod. VI. 20. *Amita*, sed *Patruelis* Amrami; quos scil. significatus istæ voces alias etiam sustinent, Ef. V. 1.

β) Licet vero etiam Amrami uxor, Jochebed, Amita ejus fuisset, nihil tamen hoc matrimonium obligationi Graduum prohibitorum quicquam derogaret; quia illud a) ante legem latam junctum fuisset, nec b) in S. litteris probaretur, sed tantum simpliciter commemoratur.

Obj. V. *Quia item secundum Jus, quod vocatur Leviratus, frater olim viduam fratris sui sine liberis mortui in matrimonium ducere, suoque mortuo fratri liberos excitare debuerit*, Deut. XXV. 5. *sequi inde: Etiam sub N. F. ob eandem vel similes ratio-*

tiones istud matrimonium ab imperante permitti publice ac recte quidem posse.

Nam Resp. α) Si vel concedatur, Jus illud ad fratres proprie sic dictos pertinuisse; tamen quia rationes illæ politicæ, propter quas olim Jus istud constitutum erat, non amplius sub N. F. obtinerent, matrimonium illud nunc juxta Lev. XVIII. 16. semper prohibitum manet, neque fas est, cuiquam ejus licentiam dare.

β) Sed Jus Leviratus, quod supra ad Interdictum X. §. XIII. demonstravimus, non pertinuit ad fratres proprie sic dictos, sed ad remotiorum graduum cognatos. Ergo jus illud Leviratus de interdicto graduum prohibitorum prorsus nihil derogat.

Obj. VI. *Quia denique* Levit. XVIII. 18. *matrimonio cum duabus simul sororibus interdicatur, liberum dari oportere, duas sorores, alteram post alteram, in matrimonium ducere.*

Nam

Nam Resp. Supra jam §. XIII. ad Interdictum XII. ostensum esse: id nihilo secius prohibitum esse ac manere, quia soror uxoris, mortua licet uxore, nihilo tamen minus שאר בשר *Propinqua carnis* maneat.

§. XV.

Etiam paribus propinquitatis gradibus interdictum esse probatur.

Enimvero non inter eas tantum personas, quæ diserte Levit. XVIII. & XX. nominantur, matrimonio interdictum est, sed inter eas etiam, quæ in pari propinquitatis gradu inter se cognatæ aut affines sunt.

Prob. I. Hujus omnibus dubiis longe superioris sententiæ generalia illa argumenta sunt:

a) Quia *Personæ ratæ*, (sic brevitatis ergo personas appellabimus, quæ in interdicto illo divino non diserte nominantur, sed ex paribus tantum gradibus putantur,) non minus ac *Perso-*

fonæ ſcriptæ (ſic eadem de cauſa perſonas appellabimus, quæ expreſſe in interdicto divino nominantur) in generali illo interdicto Levit. XVIII. 6. ſub communi nomine שאר בשר *Reſidui* ſ. *Agnati carnis* comprehenduntur, v. g. fratris aut ſororis filia. Nam cum Amita ſ. Patris ſoror, quod expreſſe dicitur, Patris שארו *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis*, & Matertera ſ. Matris ſoror, quod itidem expreſſe dicitur, Matris שארה *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis ſit*, Levit. XVIII. 12, 13. quin cum utraque, nempe & Patris & Matris ſoror, filii fratris aut ſororis, quod iterum diſerte dicitur, שארו *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis ſit*, Levit. XX. 19. ut propterea filius fratris aut ſororis a matrimonio cum iis abſtinere debeat, non minus filia fratris aut ſororis שאר *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis* τȢ Patrui ſeu Avunculi ſit, neceſſe eſt; & propter eam propinquitatem pariter filia fratris aut ſororis a matrimonio cum Patruo aut Avunculo ſuo, ſeu,

feu, quod perinde eft, Patruus aut Avunculus a matrimonio cum filia fratris aut fororis abftinere debet.

β) Quia ratio prohibitorum a Mofe matrimoniorum cum propinquis carnis Levit. XVIII. 6. non nifi in ipfa propinquitate, neque extra eam præcipue in alio quopiam refpectu ponitur, Levit. XVIII. 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17. Quod efficit, ut non minus inter pares propinquitatis gradus, etiamfi eorum non omnes perfonæ diferte nominentur, matrimonio mutuo interdictum effe oporteat.

γ) Quia parium graduum par etiam ratio atque mutuum officium fit, oportet. Nam cum ad fervandam integram ac propagandam pofteritati etiam veram in DEum pietatem & vitæ fanctimoniam unius præcipue ejusdemque ftirpis cognati atque affines inter fe, alter alteri, in mutuo honore atque exiftimatione effe ac manere debeant, ut propterea iftis a mutua inter fe

cor-

corporum commixtione abſtinendum ſit, pari ratione, ut v. g. viro a commixtione cum Patris aut Matris ſorore abſtinendum eſt, Lev. XVIII. 12, 13. ſic etiam fœminæ abſtinendum eſt a commixtione cum Patruo aut Avunculo i. e. cum Patris aut Matris fratre. Utriusque enim generis mutua propinquorum commixtio corporea nimium quantum propinquorum illi mutuo officio, alteri nimirum pietatem & vitæ ſanctimoniam præeundi, obſtaret atque noceret (§. VII.) Unde incontroverſa prorſus ratione conficitur: Virum non modo v. g. Amitam aut Materteram, ſed fratris etiam aut ſororis ſuæ filiam ob exemplum pietatis & ſanctimoniæ præbendum verecundari oportere.

Prob. II. Specialia vero argumenta ſunt:

α) Quia nec a matrimonio aut commixtione v. g. cum propria filia, aut cum ſorore ex utroque parente &c. diſerte interdictum eſt, quibus tamen

 nihi-

nihilominus interdictum esse, nemo facile, qui sanæ mentis sit, negaverit. Quod cum ita sit, debemus sane judicare, immo non possumus etiam non judicare, Mosen in interdicendis matrimoniis illis incestis diserte enumeratis simul intendisse, ut porro nos ex paritate graduum *a personis scriptis ad personas ratas* ad similem interdictionem inferamus consecutionem. Quod quidem argumentum ejus momenti ac ponderis est, ut, quicquid a parte adversa contra computationem parium graduum afferatur, ipsum a se & sine refutatione corruat.

β) Quia Moses etiam Levit. XX. in repetita illa matrimoniorum incestorum prohibitione incestum cum nepte prætermittit, neque pœnam magis in hoc tam horrendum matrimonium aut commixtionem decernit, qua tamen Lev. XVIII. 10. disertis verbis interdicit. Eccur vero Moses nullam expresse in hunc incestum Levit. XX. pœ-

nam

nam constituit? Dicis: Eum innuere, si incestuosi cum Patris uxore, aut cum nuru, aut cum Socru, aut cum sorore consanguinea vel uterina supplicio capitis afficiendi sint, multo magis incestuosum cum nepte aut cum filia capite plectendum esse. Ajo ego: ergo tu ipse a gradu ad gradum rationem concludis; atque sic tuo ipse exemplo ostendis ac probas: a pari propinquitatis gradu ad parem matrimonii interdictionem concludendum esse.

γ) Quia porro ipse ille legislator divinus ab una persona ejusdem gradus ad alteram personam, quin ab uno etiam gradu ad alterum gradum descendentis aut ascendentis propinquitatis rationem concludit, videl. Lev. XVIII. 17. coll. Lev. XX. 14. a persona filiae uxoris s. privignae ad personam Matris uxoris s. Socrus, nec minus a gradu privignae ad gradum, ut ita dicam, proprivignae. Quod non mi-

nus manifeſto indicio atque argumento eſt, innui nobis ac monſtrari a Moſe, quo pacto ab una perſona alicujus gradus ad alteram perſonam ejusdem gradus, immo etiam quomodo ab uno gradu ad alterum gradum deſcendentis aut aſcendentis propinquitatis concludendum ſit.

δ) Quia denique idem internuntius divinus Levit. XX. 11. aut una ſanctione duobus ſimul inceſtibus capitalibus interdictum vult, ſcil. inceſtu cum Noverca & inceſtu cum Matre; ut nos quoque vel a pari ad par, vel a minori ad majus concludere rationem tacite jubeat: aut alterutrum capitalem inceſtum impunitum vult, cf. Levit. XVIII. 7. 8. Atqui Poſterius abſurdum eſt de internuncio divino cogitare. Ergo Prius ſit, neceſſe eſt, & Moſes nos quoque a pari gradu ad parem rationem concludere jubet.

§. XVI.

§. XVI.

Objectiones solvuntur.

Cui assertioni non obstant, quæ a parte adversa objiciuntur.

I. Enim frustra objicitur: *Leges divinas, utpote omnibus numeris absolutas, juxta ipsius DEi interdictum*, Deut. IV. 2. XII. 32. *non esse extendendas.*

Respond. enim α) Si lex divina de non ducenda propinqua carnis, secundum gradus, nec secundum personas scriptas solum exponitur, id non est extensio legis divinæ, sed vera modo, immo divinitus etiam præcepta nobis expositio atque applicatio. DEus in lege sua Levit. XVIII. 6. sanxit: ne quis ad propinquam carnis suæ accedat; jam si id de omnibus ejus generis propinquis exponitur, cujus scil. etiam personæ sunt, quas DEus diserte in lege sua nominavit, id demum debita hujus legis interpretatio atque applicatio est, adeo etiam, ut de lege potius divina non sine culpa

ſua derogaturus eſſet, quicunque legem iſtam aliter, nimirum de perſonis ſolum ſcriptis, expoſuerit, Cf. Matth. V. 20, 21—48.

β) Non ea ad legem divinam additio vetita eſt, quæ eam convenienti cum lege ratione explicat aut applicat. Alioquin etiam Chriſtus, qui quartum decalogi præceptum de non auferenda quoque Parentibus quapiam re, neque ea quidem, quam filius DEo oblaturus eſſet, expoſuit, Matth. XV. 3—6. nec non Paulus, Apoſtolus, qui legem illam de non obturando ore bovis triturantis etiam ad homines, atque ad miniſtros quidem verbi divini accommodavit, 1 Cor. IX. 9—11. 1 Tim. V. 17, 18. violati illius interdicti ſe adſtrinxiſſent. Sed ea tantum additio ad legem divinam vetita eſt, quæ cum ea diſſentiat aut pugnet.

II. Fruſtra quoque objicitur: *Si lex Moſis de non ducenda propinqua carnis ſecundum*

dum gradus quoque, nec ſolum de perſonis ſcriptis, intelligenda eſſet, Moſes ſupervacanea prorſus ratione matrimonio cum Matertera, ſ. cum Matris ſorore interdixiſſet, poſtquam proxime antea in pari gradu matrimonio jam cum Patris ſorore interdixerat, Levit. XVIII. 12, 13. & XX. 19.

Nam Reſp. *α*) Ejusmodi pleniores legum diductiones, quæ tamen non plane pro ſupervacaneis habendæ ſunt, in nullo non legum publicarum ſyntagmate, cujuscunque gentis aut ætatis ſint, occurrunt. Leges vero divinæ in S. litteris ſapienti conſilio DEi ad ſimilitudinem ac ſpeciem legum humanarum ea ratione ac fine conſcriptæ ſunt, ut homines nihilo eis minus, ceu divinis, fidem habere, huicque fidei ſuum quaſi pretium, ſua remuneratio conſtare deberet.

β) Moſes id non ſupervacanea ratione, ſed DEi potius conſilio ad eum finem fecit, ut nobis exemplo eſſet, quo

ſen-

ſenſu has ejus leges conjugiales accipere debeamus, ſcil. ad parium graduum parem quoque interdicti rationem. Ipſi Moſi, quod diſpoſitio & conſecutio iſtarum legum clare monſtrat, cum eas publice ſcriberet, gradus propinquitatis, tanquam ſi eos ante oculos habuiſſet, ita in mente obverſati ſunt, ut protinus ei, poſtquam matrimonio cum Amita ſ. Patris ſorore interdixerat, Matris etiam ſoror in mente atque inter ſcribendum occurreret.

III. Nec minus in caſſum objicitur: *Computationem iſtam graduum propinquitatis a Romanis originem habere, quibus utpote ea in uſu fuerit. Sed abſonum eſſe, morem recentiorem ad leges Moſis multo antiquiores accommodare.*

Namque Reſp. *a*) Computatio illa graduum propinquitatis naturalis potius eſt, & cuivis facile homini ſanæ mentis ſuccurrere ſponte poteſt, v. g. fratris aut ſororis filiam Patruo aut Avun-

vunculo in pari gradu propinquam esse, ac quidem filio fratris aut sororis Amita aut Matertera propinqua est.

β) Romani potius computationem graduum propinquitatis per manus a Græcis, Græci autem per Phœnices ab Israëlitis, quique tamen eo modo acceperunt, atque ad suas leges applicarunt, ut quivis horum populorum sanctiones illas de matrimoniis incestis pro suo genio atque arbitrio vel auxerit vel imminuerit.

IV. Non magis derogat, quod objicitur: *Neque Judæos, qui nunc sunt, neque priscos Judæos leges has Mosis de vitandis matrimoniis incestis secundum gradus, sed tantum de personis diserte scriptis exposuisse; quemadmodum ipsi adhuc matrimonium cum filia fratris aut sororis, nec non mortua uxore, matrimonium cum uxoris sorore pro liberis ac solutis habeant. De priscis quidem Judæis, quorum utpote major in hac re auctoritas sit, id constare ex connubiis Herodum, scil. Magni cum fra-*

tris sui, ut & cum Matris suae filia, tum filii ejus Philippi cum Herodiade, Aristobuli, fratris sui, filia, nec non Philippi, Tetrarchae Trachonitidis, cum Salome, fratris antedicti sui Philippi filia, Josephi Antiq. Jud. L. XVII. c. I. §. 3. L. XVIII. c. V. §. 1. & 4. *inprimis vero ex connubio illo Josephi, filii Tobiae, cum fratris sui Solemii, filia, quod commemorante eodem Josepho, Antiq.* Jud. L. IV. c. IV. §. 6. *tempore Philadelphi Epiphanis, Regis Ægyptii, adeoque ducentis circiter & aliquot annis ante contigerit, quam Christus natus esset. Unde consequatur: neque nunc leges istas Mosaicas de matrimoniis incestis secundum gradus, sed tantum de personis scriptis intelligendas esse.*

Nam Resp. *a*) Judicium Judæorum tum recentiorum, tum veterum, post sæculum quidem a mundo condito trigesimum septimum, adeoque ducentis circiter annis ante Christum natum, quo scil. tempore illud Josephi, Tobiæ filii, connubium cum filia fratris con-

contigerat, ne dicam eorum, qui Herodum temporibus vixerunt, ad definienda ex legibus istis Mosaicis matrimonia incesta, parum aut nihil prorsus valet. Constat enim, Judæos jam tum præceptis Pharisæorum, utpote qui jam ante Jonathanis Asmonæi tempus viguerunt, imbutos fuisse, certe quidem, (cujus jam Malachiæ tempore aut proxime post eum exempla dedere,) doctrinam legis divinæ in multis partibus depravasse & corrupisse. Unde Christus etiam opus habuit, præcipue eorum de lege divina sensus minutos rejicere ac damnare, Matth. V. 20—48.

β) Sed ipsi etiam Judæi veteres, cum leges Mosis de matrimoniis incestis, tanquam sepe aliqua munire amplius ac defendere constituissent, præter personas in lege divina diserte scriptas non minus matrimonio cum Avunculi vidua interdixerunt; quod manifesto indicio est, vel Judæorum etiam Ma-

gi-

giſtros & legulejos veteres parum ſibi in definiendis matrimoniis inceſtis conſtitiſſe, ac proinde judicium atque auctoritatem eorum in hac re nihili eſſe.

V. Nec porro obſtat, quod objicitur: *Non inter gradus ſolum, verum etiam inter perſonas unius ejusdemque gradus magnum diſcrimen intereſſe, ita quidem, ut, quamvis v. g. matrimonio cum Patris aut Matris ſorore interdictum ſit, inde tamen colligi minime poſſit: ergo etiam matrimonio cum fratris aut ſororis filia interdictum eſſe. Fratris enim aut ſororis filiam non æque Patruo aut Avunculo propinquam olim reputatam fuiſſe, atque Amitam aut Materteram fratris aut ſororis eorum filio; quod quidem conſuetudo illa uxorum Arabum vel Iſmaëliticarum vetuſta manifeſto declaret, qua eas juxta Coranum* Sur. XXIV. v. 32. & XXXIII. v. 52. *non niſi faciem & ſinum peplo velatas in conſpectum aliorum marium venire oportuerit; at licuerit tamen eis in conſpectu pro-*

propinquorum ſuorum, nominatim maritorum ſuorum, patrum ſuorum, ſocerorum ſuorum, filiorum ſuorum, privignorum ſuorum, fratrum ſuorum, filiorum fratruelium aut ſororiorum ſuorum, foeminarum ſuarum, captivorum ſuorum, mendicorum, item puellorum, qui foeminas non agnoverint, aperta facie & ſinu verſari: ſiquidem Muhammedes in hac lege eandem propinquitatis computationem, ac Moſes, ſecutus, nec plures nec pauciores propinquorum, a quibus uxores aperta facie ac ſinu conſpici liceret, enumeraverit, quam Moſes a matrimonio cum foeminis cognatis aut affinibus prohibuerit.

Nam Reſp. a) Conſuetudo illa vetuſta uxorum ſive Arabum ſive Iſmaëliticarum prorſus nihil contra parium computationem graduum circa matrimonia inceſta probat. Conſtat enim, Muhammedem, qui ſaeculo demum poſt Chriſtum natum ſeptimo vixerit, in conficiendo Corano etiam opera alicujus Judaei uſum fuiſſe. Quia vero

Ju-

Judæi jam tum, immo longe etiam antea, ut ſupra ad Objectionem IV. dictum eſt, minutos illos de matrimoniis inceſtis ſenſus geſſerunt, Muhammedi in promtu fuit, eandem de propinquitate ſententiam ſequi. Proinde ea nihilo plus contra computationem graduum parium valet, quam Judæorum illud de matrimoniis inceſtis vel non inceſtis judicium.

β) Immo vero Muhammedes in enumeratione illa proximorum cognatorum & affinium, non rationem Moſis, ſed ſuum potius judicium, aut naturalem, quam quivis facile mente intelligentiaque ſua concipit, computationem propinquitatis graduum ſecutus eſt; quippe cum tam generum, quam levirum etiam ejusque filium, ne dicam ſororis maritum, quos Moſes nominavit, omiſerit.

γ) Quin Muhammedes ipſe in vetandis matrimoniis inceſtis non perſonas ſolum, quos Moſes enumeravit, ſed

gra-

gradus potius computavit, immo cum pluribus etiam propinquis, quam Moſes, matrimonio interdixit; quoniam amplius quoque fratrum aut ſororum filiabus, de quibus ipſis noſtra ætate tam multa diſputantur, quin nutricibus etiam & ſororibus collactaneis prohibuit. Quod itaque planum ac manifeſtum facit, ad Arabum & Muhammedis leges aut conſuetudines neque pro computatione parium graduum, neque contra eam recte ac firme provocari poſſe.

VI. Neque obſtat, quod objicitur: *Si vel concedatur, quod tamen fruſtra prætendatur: Ideo a Moſe matrimoniis iſtis inceſtis interdici, quia per ea reſpectus parentelæ, ut vocetur, confundatur; certe matrimonium cum fratris aut ſororis filia, matrimonium item cum uxoris ſorore liberum dari oportere, quia illæ in utroque matrimonio, altera quidem Patruo aut Avunculo, altera vero ſororis defunctæ marito, ceu uxores, nihilominus ſubjectæ maneant,* *ideo-*

ideoque in neutro matrimonio respectus parentelæ pervertatur. Quod itaque efficiat, ut lex illa divina de prohibitis matrimoniis incestis non secundum gradus, sed tantum de personis expresse scriptis exponenda sit.

Resp. enim: Non tam respectus parentelæ, quam mutua potius inter propinquos servanda verecundia, qua ob tuendam & propagandam posteris etiam pietatem & vitæ sanctimoniam in familiis & cognationibus, alterum coram altero pudere oportet, licentius aliquid aut male facere, contra opus est, ut alter alteri auctor atque exemplum pietatis & sanctimoniæ sit, in causa est, cur ii matrimonio inter se prohibentur. Quia igitur etiam Patruus aut Avunculus filiam fratris aut sororis suæ, maritus item mortuæ uxoris suæ sororem verecundari debet, non minus matrimonio cum fratris aut sororis filia, ut & matrimonio cum mortuæ uxoris sorore interdictum

esse

esse oportet; ideoque lex illa divina de prohibitis matrimoniis incestis etiam secundum gradus pares interpretanda est.

VII. Neque tandem obstat, quod postremo loco objicitur: *Certe quidem ex eo, quod secundum Jus leviratus frater olim fratris sui sine liberis demortui viduam ducere in matrimonium debuerit; & quod viro licuerit, demortua uxore sua sororem ejus ducere, exploratum esse, tum inter personas ejusdem gradus propinquitatis magnum discrimen interesse, tum legem etiam divinam de prohibitis matrimoniis incestis non secundum gradus, sed tantum de personis expresse scriptis interpretandam esse; quia illam non licuerit ducere, nisi frater improlis decesserit, hanc vero eo tantum casu, cum uxor mortua fuerit.*

Nam Resp. α) Jus, quod vocatur, leviratus non illud fuit, quasi frater fratris sui sine liberis demortui viduam debuerit ducere, sed quod cognatus defuncti, גואל Goël propterea dictus,

I Ruth.

Ruth. IV. 1. ſs. id facere debuit, vid. ſupra §. XIII. ad Interdictum X.

β) Moſes non diſerte licentiam ducendæ ſororis demortuæ uxoris dedit, ſed tacite tantum id eis, a ſe atque ægre quidem liberum fecit. Quod quidem ex eo clarum eſt, quia hujus gradus matrimonii non niſi inter ea שארי בשר *Reſidua* ſ. *Agnata carnis* mentionem facit, a quibus Lev. XVIII. abſtinere ad matrimonium jubet. Vid. etiam §. XIII. ad Interdict. XII. Nihil itaque neque hoc, neque alterum illud matrimonium contra computationem parium graduum probat.

§. XVII.

Ipſi Gradus prohibiti omnes exponuntur.

Itaque hi ſunt Gradus propinquitatis, in quibus tum diſerte matrimonio inter propinquos interdictum eſt, tum vero interdictum eſſe, ex paritate propinquitatis colligitur.

I. In

I. In Propinquitate lineæ rectæ,

א. Consanguinitatis.

In Gradu A) *Personæ Scriptæ.*

I. { Vir non ducat Matrem suam; s.
Fœmina non nubat filio suo, Lev. XVIII. 7.

II. { Vir non ducat neptem suam, i. e. filiam filii s. filiæ suæ; aut
Fœmina non nubat Avo suo, i. e. Patri Patris aut Matris suæ, v. 10.

B) *Personæ Ratæ.*

I. { Vir non ducat filiam suam; s.
Fœmina non nubat Patri suo, ex Lev. XVIII. 7.

II. { Vir non ducat Aviam suam, i. e. Matrem Patris aut Matris suæ; s.
Fœmina non nubat nepoti suo, i. e. filio filii aut filiæ suæ, ex v. 10.

Reliquos gradus ulteriores nihil attinet enumerare.

Prob. Inter personas hasce ratas non licere matrimonium contrahi, probatur.

α) Quia filia est בשר *Caro* Patris sui,

& nepos caro Aviæ suæ, Lev. XVIII. 10. Vid. etiam §. XII. Canon I.

β) Quia inprimis inter Patrem suamque filiam, ut & inter Aviam suumque nepotem mutua verecundia, mutua item a probitate existimatio intercedere & servari debet.

1. ב. Affinitatis.

In Gradu A) *Personæ Scriptæ.*

I. { Vir non ducat Novercam suam, i. e. uxorem Patris sui; s.
Fœmina non nubat privigno suo, i. e. mariti sui filio, Lev. XVIII. 8. }

I. { Vir non ducat privignam suam, i. e. filiam uxoris suæ; s.
Fœmina non nubat Vitrico suo, i. e. Matris suæ marito, Lev. XVIII. 17. }

II. { Vir non ducat proprivignam suam, i. e. filii aut filiæ uxoris suæ filiam; s.
Fœmina non nubat Provitrico suo, i. e. Patris aut Matris suæ Vitrico, Levit. XVIII. 17. }

B) *Per-*

In Gradu B) *Personæ Ratæ.*

II. { Vir non ducat proprivignam ſuam, quæ filii aut filiæ ſuæ privigna eſt; ſ.
Fœmina non nubat Provitrico ſuo, qui Patris aut Matris ſuæ Vitricus eſt, ex Levit. XVIII. 17.

II. { Vir non ducat Pronovercam ſuam, ſive ea Patris aut Matris ſuæ Noverca, ſive Vitrici aut Novercæ ſuæ Mater ſit; ſ.
Fœmina non nubat proprivigno ſuo, ſive is privigni aut privignæ ſuæ filius, ſive filii aut filiæ ſuæ privignus ſit, ex Levit. XVIII. 10. & 17.

Prob. *α*) Quemadmodum enim proprivigna, quod diſerte dicitur, (בשר) שאר *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis* Provitrici ſui eſt, eo quod Avia ejus, cujus ipſa בשר *Caro* eſt, (§. XII. Canon I.) una cum Provitrico ejus, ceu marito ſuo, caro eſt (§. XII. Canon II.) Levit.

XVIII. 17. ſic etiam proprivignus Pronovercæ ſuæ (בשר) שאר *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis* ſit, neceſſe eſt, propterea quod Avus ejus, cujus ipſe בשר *Caro* aut Carnis eſt (§. XII. Canon I.) cum Pronoverca ejus, ceu uxore ſua, una caro eſt (§. XII. Canon II.)

β) Nonne vero Pronoverca & proprivignus ejus mutuam inter ſe verecundiam ac pudorem ad pie recteque vivendum ſervare debent?

2. ב. Affinitatis.

In Gradu A) *Perſonæ ſcriptæ.*

1. { Vir non ducat nurum ſuam, i. e. uxorem filii ſui; ſ.
Fœmina non nubat Socero ſuo, i. e. Patri mariti ſui, Lev. XVIII. 15. & XX. 14.

B) *Per-*

In Gradu B) *Personæ Scriptæ & Ratæ.*

I. Vir non ducat Socrum suam, i. e. uxoris suæ Matrem; s.
Fœmina non nubat genero suo, i. e. filiæ suæ marito (scil. Scriptæ Lev. XX. 14. Ratæ vero ex Levit. XVIII. 15. Vid. etiam §. XV. Prob. II. β) & γ)

Personæ Ratæ.

II. Vir non ducat pronurum suam, i. e. filii aut filiæ suæ nurum; s.
Fœmina non nubat Prosocero suo, i. e. soceri aut socrus suæ Patri, ex Lev. XVIII. 15. 17. & XX. 14.

II. Vir non ducat Prosocrum suam, i. e. soceri aut Socrus suæ Matrem; s.
Fœmina non nubat progenero suo, i. e. filii aut filiæ suæ genero, ex Lev. XVIII. 15. 17. & XX. 14.

Prob. α) Perinde enim est: si proprivigna שארה *Residuum* s. *Agnatum carnis* Provitrici est, Lev. XVIII. 17. etiam

 pro-

pronurus Prosoceri sui, ut & progener Prosocrus suæ שארה *Adjunctum* s. *Agnatum carnis* sit, necesse est, propterea quod maritus aut uxor ejus, cum quo aut cum qua ipse aut ipsa una caro est, Prosoceri aut Prosocrus ejus, ceu Avi aut Aviæ suæ בשר *Caro* est, (§. XII. Canon I. & II.)

β) Quidni vero etiam inter Prosocerum & pronurum ejus, nec non inter Prosocrum & grogenerum ejus mutua ad retinendam & propagandam pietatem ac sanctimouiam vitæ verecundia opus sit?

II. In Propinquitate lineæ obliquæ,

א. Consanguinitatis.

In Gradu A) *Personæ scriptæ.*

II. { Vir non ducat Amitam suam, i. e. sororem Patris sui; s. Fœmina non nubat fratris sui filio, Lev. XVIII. 12.

II. { Vir non ducat Materteram suam, i. e. sororem Matris suæ; s. Fœmina non nubat sororis suæ filio, Lev. XVIII. 13.

B) *Per-*

In Gradu B) *Personæ Ratæ.*

I. { Vir non ducat sororem suam germanam, ex utroque Parente; s. Fœmina non nubat fratri suo germano, ex utroque Parente, ex Lev. XVIII. 9. 11, 12, 13. 16.

II. { Vir non ducat filiam fratris sui; s. Fœmina non nubat Patruo suo, ex Lev. XVIII. 12, 13.

II. { Vir non ducat filiam sororis suæ; s. Fœmina non nubat Avunculo suo, ex Lev. XVIII. 12, 13.

III. { Vir non ducat sororem Avi sui, sive Paterni, sive Materni; s. Fœmina non nubat nepoti fratris aut sororis suæ, ex Lev. XVIII. 12, 13.

III. { Vir non ducat neptem fratris s. sororis suæ; s. Fœmina non nubat Avi aut Aviæ suæ fratri, ex Lev. XVIII. 12, 13.

Reliquos hujus consanguinitatis gradus nihil attinet enumerare.

Prob. *α*) Quia filius aut filia בשר caro Patris aut Matris ſuæ, & viciſſim Pater aut Mater filii aut filiæ ſuæ caro eſt; quia item nepos aut neptis Avi aut Aviæ ſuæ בשר *Caro* eſt (§. XII. Canon I.) & viciſſim Avus aut Avia nepotis aut neptis ſuæ (§. XII. ib.); frater vero ſororis ſuæ & ſoror fratris ſui שאר *Agnatum* eſt, Lev. XVIII. 12, 13. etiam Patruus aut Avunculus fratris aut ſororis ſuæ filii aut filiæ, nec non Propatruus aut Proavunculus fratris aut ſororis ſuæ nepotis aut neptis שאר בשר *Reſiduum* ſ. *Agnatum carnis* ſit, neceſſe eſt. Ergo a ſe mutuo abſtinere debent, Lev. XVIII. 6.

β) Hi omnes ad unam cognationem ſeu ſtirpem pertinent, in qua ad ſervandam & poſteris etiam propagandam pietatem & vitæ ſanctimoniam mutua alterius coram altero verecundia & pudicitia illibata atque integra manere debet (§. VII.) Ergo Mutuo a ſe invicem matrimonio abſtinere debent.

1. Se-

1. Semi-consanguinitatis.

In Gradu A) *Personæ Scriptæ.*

I. { Vir non ducat sororem suam consanguineam legitimam, i. e. filiam Patris & Novercæ suæ; s.
Fœmina non nubat fratri suo consanguineo, i. e. filio Patris, non Matris suæ, Lev. XVIII. 11. }

I. { Vir non ducat sororem suam consanguineam illegitimam, i. e. filiam Patris ex pellice aut meretrice, (non ex Matre,) susceptam; s.
Fœmina non nubat fratri suo consanguineo legitimo, ipsa illegitima, i. e. filio Patris, non Matris suæ, Lev. XVIII. 9. }

I. { Vir non ducat sororem suam uterinam illegitimam, i. e. filiam Matris, non Patris sui, eamque illegitimam, ipse legitimus; s.
Fœmina non nubat fratri suo uterino legitimo, ipsa illegitima, i. e. filio Matris, non Patris sui, Lev. XVIII. 9. }

Vir

In Gradu

I. { Vir non ducat fororem fuam uterinam illegitimam, i. e. filiam Matris, non Patris fui, illegitimam, ipfe quoque illegitimus; f.

Fœmina non nubat fratri fuo uterino illegitimo, i. e. filio Matris, non Patris fui, illegitimo, ipfa quoque illegitima Lev. XVIII. 9.

B) *Perfonæ Ratæ & Scriptæ.*

I. { Vir non ducat fororem fuam uterinam legitimam, i. e. filiam Matris, non Patris fui; f.

Fœmina non nubat fratri fuo uterino legitimo, i. e. filio Matris, non Patris fui, ipfa quoque legitima, ex Lev. XVIII. 9. 11. Scriptæ Lev. XX. 17.

Hoc matrimonio, inter fratrem fcil. & fororem uterinam interdictum effe, nihil opus eft, expreffis verbis probare. Inceftum enim effe, ex Lev. XVIII. 9. 11. in promtu eft colligere.

2. 2. Af-

2. ב. Affinitatis.

In Gradu A) *Personæ Scriptæ.*

I. { Vir non ducat uxorem fratris sui; f.
Fœmina non nubat leviro suo, i. e. fratri mariti sui, Lev. XVIII. 16. Vid. supra §. XIII. Interd. X.

II. { Vir non ducat Patrui sui uxorem; f.
Fœmina non nubat mariti sui filio fratrueli, Lev. XVIII. 14.

B) *Personæ Scriptæ vel Ratæ.*

I. { Vir non ducat uxoris suæ demortuæ sororem; f.
Fœmina non nubat marito sororis suæ demortuæ, Lev. XVIII. 18. Vid. §. XIII. Interd. X.

Personæ Ratæ.

II. { Vir non ducat Avunculi sui uxorem; f.
Fœmina non nubat filio gloris suæ, i. e. sororis mariti sui, ex v. 14.

Vir

In Gradu

II. Vir non ducat uxorem filii fratris sui; f.
Fœmina non nubat Patruo mariti sui, ex Lev. XVIII. 14.

II. Vir non ducat uxorem filii sororis suæ; f.
Fœmina non nubat Avunculo mariti sui, ex eod.

II. Vir non ducat Amitam uxoris suæ; f.
Fœmina non nubat marito filiæ fratris sui, seu genero fratris sui, ex vers. eod.

II. Vir non ducat Materteram uxoris suæ; f.
Fœmina non nubat marito filiæ sororis suæ, seu genero sororis suæ, ex eod.

II. Vir non ducat filiam fratris uxoris suæ; f.
Fœmina non nubat Amitæ suæ marito, ex eod.

Vir

In Gradu

II. { Vir non ducat filiam ſororis uxoris ſuæ; ſ.
Fœmina non nubat marito materteræ ſuæ, ex eod.

Reliquos hujus Affinitatis gradus v. g. Primitertium &c. nihil opus eſt enumerare.

Prob. *α*) Quia conſanguinei gradus primiprimi, primiſecundi & primitertii &c. alteri alterorum שארי בשר Reſidua ſ. cognata carnis ſunt, maritus vero cum uxore ſua una caro eſt; etiam conjuges conſanguineorum conſanguineis conjugum ſuorum שארי בשר Reſidua ſ. Adjuncta aut Agnata carnis, atque hi conſanguinei viciſſim conſanguineorum ſuorum conjugibus שארי בשר Reſidua, ſ. Agnata ſ. Adjuncta carnis ſunt; quod ex eo etiam colligitur, quia Patrui uxor, v. 14. fratris item uxor, v. 16. & ſoror uxoris in numero שארי בשר Reſiduorum ſ. Ad-

ſ. Adjunctorum aut Agnatorum carnis ponuntur, coll. v. 6.

β) Quia omnes enumeratæ ad unam eandemque cognationem pertinent, in qua, ob ſervandam & propagandam poſteris etiam pietatem & vitæ ſanctimoniam, mutuam opus eſt retinere ac ſervare verecundiam atque exiſtimationem.

§. XVIII.

Qui matrimonia propinquorum magis libera cenſent, monentur.

Verum enimvero, etiamſi fortaſſe, qui circa Gradus prohibitos majorem licentiam defendunt, habere adhuc ſibi videantur, quod objicere poſſint, ac potius, utcunque aliis etiam perſuadere conentur, gradus ultra conſanguineos atque affines lineæ rectæ in primo genere, itemque ultra fratres atque ſorores excurrentes, certe quidem matrimonia cum uxoris mor-

tuæ

tuæ ſorore, cum fratris vidua, nec non cum filia fratris aut ſororis, libera facile ac ſine metu violatæ religionis aut honeſtatis dari poſſe; quivis tamen (ſi vel iſtos ſuo ingenio abundare demus,) cui pietas in DEum & puritas morum curæ cordique eſt, ipſe per ſe faclie videbit, & pronuntiare etiam compelletur animo, conſultius nihilominus eſſe, ac diſciplina Chriſtiana dignius, illa ipſa, quæ modo diximus, atque alia matrimonia, quæ ad normam legis divinæ ex paritate graduum vetita judicari debent, quanto magis ea, quæ diſerte in lege divina vetantur, publica etiam auctoritate atque edicto cavere, neque ea cuiquam, quacunque de cauſa, gratificari.

Prob. a) Quæcunque enim interior illa & magis propria cauſa ſit, cur iſtis matrimoniis divinitus interdictum ſit;

tamen cum ratio interdictorum matrimoniorum omnium in propinquitate ponitur, atque gradus quidem propinquitatis, inter quos diserte matrimonio interdicitur, ideo prohibentur, quia sunt שארי בשר Cognatorum aut Affinium carnis, Lev. XVIII. 6. jus sane ac ratio (si vel causa graduum prohibitorum penitus perspici nequeat,) suadet, omnibus quoque istis personis, quæ in iisdem propinquitatis gradibus sese mutuo attingunt, propter illam ipsam inter eas propinquitatem, & quia sunt שארי בשר Cognata aut Affinia carnis, similiter matrimonio, alteri cum altero interdictum esse judicare, idque eo magis, quia leges ac litteræ divinæ ejus naturæ & conditionis sunt, ut potius ultra, quod expressis verbis scriptum est, ad sensum etiam exponendæ atque applicandæ sint, Matth. V. 20—48. XXII. 31, 32.

β) Utcunque etiam hæc de Gradibus prohibitis disputatio & controversia se ha-

habeat, (id vero per Concessionem scribo,) certum tamen est, tum eis, qui largiorem matrimoniorum inter propinquos libertatem defendunt, non posse non dubium esse, utrum recte sentiant ac judicent, tum aliis quoque, iisque longe pluribus, hujusmodi matrimonia inter propinquos graduum prohibitorum non posse, quin offensioni forent, si permitterentur. Quia vero in rebus dubii juris, quæ non Philosophiæ moralis solum, sed Christianæ etiam doctrinæ regula est, Rom. XIV. 23. nihil agendum est; præter hoc Christiani etiam offensionem aliorum cavere sollicite debent, 1 Cor. X. 32. coll. v. 19—29. VIII. 8—13. &, quod accedit, in magna hodie fœminarum multitudine nulla necessitas est, propinquam ejusmodi fœminam in matrimonium ducendi, cujus quidem ducendæ dubium jus est; consultius profecto, & disciplinæ Christianæ convenientius est, hujusmodi matrimonia inter propinquos,

immo illa ipſa cum uxoris demortuæ ſorore, cum fratris vidua, nec non cum fratris aut ſororis filia, publica etiam Magiſtratus Politici auctoritate atque edicto prohiberi, neque cuiquam eorum, quæcunque prætendatur cauſa, gratiam fieri publice.

§. XIX.

Gradus tamen prohibiti cum diſcrimine pro prohibitis habendi ſunt.

Nihilo tamen minus matrimonia & commixtiones cum propinquis graduum prohibitorum alia aliis graviora, adeoque a Magiſtratu etiam Politico diverſe, alia nimirum pro ratione culpæ gravius, alia vero paulo mitius punienda, minime autem impunita prorſus relinquenda aut danda libera eſſe, extra controverſiam eſt.

Prob. α) Quia ratio interdictionis in propinquitate ponitur; propinqui vero alii

aliis

aliis inter ſe propiores ſunt & quaſi citeriores.

β) Quia ipſe DEus iſta matrimonia in lege ſua diverſis culparum nominibus inſignivit, v. g. inceſtum cum nuru nomine חבל *Inſania*, Lev. XX. 12. inceſtum cum Socru nomine זמה *Proſtitutio pudicitiæ*, v. 14. inceſtum cum ſorore conſanguinea aut uterina nomine חסד *Probrum*, v. 17. inceſtum cum Patris aut Matris ſorore עון *Nefas*, v. 19. inceſtum cum Patrui uxore nomine חטא *Peccatum*, v. 20. denique inceſtum cum fratris vidua nomine נדה *Res reſpuenda*, i. e. deteſtanda, v. 21.

γ) Quia etiam ipſe DEus diverſas in iſta matrimonia pœnas ac ſupplicia ſtatuit, v. g. in inceſtum cum Noverca, cum Nuru, cum Socru, nec non cum Sorore conſanguinea aut uterina ſupplicium capitis, Lev. XX. 11, 12. 14. 17. contra in matrimonia cum Patrui uxore, nec non cum uxore fratris

ſterilitatis tantum aut orbitatis pœnam, v. 20. 21. Quæ itaque aperte demonſtrant, matrimonia & commixtiones cum propinquis carnis alia aliis graviora, adeoque etiam diverſis in ea pœnis animadvertendum eſſe; non quo Magiſtratus Civilis poſteriora duo matrimonia cum Patrui aut cum fratris vidua, quacunque ratione, ſterilitatis vel orbitatis pœna, quod Theocratiæ fuit, ſed quo ea minori tantum pœna, quam ſupplicium capitis eſt, vindicet.

§. XX.

Ergo inceſtus quoque a Magiſtratu civili diverſa ratione tractandi ac puniendi.

Quia igitur inter commixtiones ac matrimonia inceſta, ut tum ex ipſis legis divinæ verbis, tum ex graduum etiam propinquitatis inter ſe comparatione clariſſime patet, multum inter-

tereſt, alia quidem matrimonia, quæ in conſanguinitate aut affinitate primi generis lineæ rectæ, aut inter perſonas a DEo diſerte prohibitas contrahantur, ſi ab uno matrimonio cum mortuæ uxoris ſorore diſcedatur, nequaquam toleranda, ſed a Chriſtiano Magiſtratu civili vel ſupplicio capitis, vel perpetuo carcere, ergaſtulo aut remigio, vel alio modo, ſecanda iterum atque e medio tollenda; alia vero, quæ in conſanguinitatis aut affinitatis lineæ obliquæ gradibus remotioribus, atque in gradibus quidem divinitus non expreſſe prohibitis, ſed qui tantum ex æqualitate cum diſerte prohibitis pro pariter vetitis habentur, quemadmodum etiam cum demortuæ uxoris ſorore, juncta fuerint, vel diſcindenda itidem ac pœnæ tantum non capitali ſubjicienda, vel indiſſoluta quidem relinquenda, at perpetua tamen ob

exemplum perniciosum relegatione atque exilio punienda esse, tum leges divinæ & sanctiores litteræ edicunt, tum prudentia etiam & multæ rationes postulant.

Prob. I. Matrimonia enim, quæ inter propinquos lineæ rectæ, aut cum sorore vel ex utroque, vel ex uno tantum parente contrahantur, non integra vel indissoluta relinquenda, sed capitis potius supplicio tollenda e medio esse, probatur:

α) Quia ipse DEus hujus generis incestuosos capite plecti jussit, Levit. XX. 11, 12. 14. 17.

β) Quia etiam Paulus, Apostolus, incestuosum illum Corinthium decreverat tradere Satanæ ad perniciem carnis, 1 Cor. V. 5. quanquam illud postea, quia incestuosus resipuerat, Paulus vero nullam in eum potestatem civilem habebat, non fecit.

II. Neque matrimonia etiam in remotioribus consanguinitatis aut affinitatis lineæ obli-

obliquæ gradibus, quibus ſc. diſerte in lege divina interdictum eſt, v. g. cum Patris aut Matris ſorore, cum Patrui item aut cum fratris vidua, relinquenda indiviſa eſſe, ſed potius diſcindenda, & pœna tantum non capitali vindicanda, probatur;

α) Quia DEus ea de gravi crimine arguit, atque alterum quidem cum Patrui uxore, *Peccatum*, Levit. XX. 20. alterum vero cum fratris vidua, נדה *Rem reſpuendam* ſ. *deteſtandam* nuncupat, v. 21. perſeverandum vero in peccato, aut in matrimonio deteſtando non eſt

β) Quia, ſi poſt reditum Judæorum ex captivitate Babylonica extraneæ uxores repudiandæ fuerunt, Neh. XIII. 23—30 multo magis matrimonia cum propinquis divinitus prohibitis dirimenda iterum ſunt.

γ) Quia Johannes Baptiſta, quod verba ejus non obſcure indicant: *Non licet tibi eam habere*, Matth. XIV. 4. vo-

luiſſe videtur, ut Herodes fratris ſui uxorem, propterea quod fratris uxor fuiſſet, iterum dimittat. Nam Philippus, frater Herodis, quod Joſephus commemorat, brevi poſt, quam Herodias, uxor ejus, ab eo abducta erat, diem obierat.

δ) Quia Chriſtus diſerte pronuntiat: Stupri cauſa (δια πορνειαν) recte poſſe divortium fieri, Matth. V. 32. πορνεια (ſtuprum) vero non ſtuprum modo, ſed inceſtum etiam denotat, 1 Cor. V. 1.

III. Sed matrimonia, quæ non inter perſonas diſerte prohibitas, ſed in paribus tantum propinquitatis gradibus juncta fuerint, licet in iſta quoque pro ratione propinquitatis & culpæ gravius, aut paulo lenius animadvertendum ſit, tamen pro diverſis, quæ talia matrimonia comitantur, vel ad ea accedunt, rationibus, vel dirimi iterum, vel relinqui integra etiam debent,

A) Vi-

A) Videlicet dirimi iterum aut fejungi, a) fi tale matrimonium proxime ad inceftum capitalem accedat, b) fi tales inceftüofi conjuges ipfi tantum non furiis admiffi inceftus animo terreantur;

α) Quia hujusmodi matrimonia, ceu cum שארי בשר *Agnatis aut Adjunctis carnis* non minus incefta funt, Levit. XIII. 6.

β) Quia certe cum πορνεια (ftupro) æquari poffunt, propter quam recte divortium fieri poteft, Matth. V. 32.

γ) Quia nec cum Patrui uxore, qui remotiffimus omnium diferte prohibitorum graduum eft, junctum effe matrimonio licet, Lev.XVIII.14. XX. 20.

δ) Quia omnia exempla perniciofa, quoad fieri poteft, e focietate Chriftiana removenda funt, 1 Cor. V. 2. 9. 11. 13.

B) Integra vero atque indiffoluta relinqui debent, a) fi in remotiori propinquitatis gradu juncta fuerint, b) fpeciatim cum demortuæ uxoris forore contracta,

ſta, c) ſi, qui talia matrimonia inierint, firme ſibi perſuadeant animo, ea in remotiori hujusmodi gradu licita eſſe atque legitima, d) ſi, qui iſtiusmodi matrimonio juncti ſint, ipſi principatum ac ſummam rerum teneant; non quaſi hi a culpa inceſtus abſint, ſed quia ipſi prorſus ſui juris, neque ullius ſubjecti eſſe volunt judicio;

α) quia dominium in hominum conſcientiam nemini, niſi ſoli DEo, competit; circa hujusmodi vero gradus, ceu diſputationibus adhuc obnoxios, non omnes eandem ſcientiam habent, ac potius alii diverſam a nobis, eamque, ut ſibi videntur, veram demum ſententiam tenere volunt, 1 Cor. VIII. 7. 12. X. 25. 2 Cor. I. 24.

β) Quia ipſe quoque DEus olim ante legem latam hujusmodi matrimonia ceu Abrahami & Nachoris toleravit, Gen. XI. 29. XX. 12.

C) At

C) At conjuges tamen, qui iſtiusmodi matrimonio juncti fuerint, propter illud, quia minimum legibus Magiſtratus matrimonialibus contravenerunt, puniri merito, immo relegari etiam in perpetuum jure poſſunt ac debent;

α) quia exire e communione Chriſtiana jubendi ſunt, quicunque eo usque mali ſunt, 1 Cor. V. 13. aut pertinaces.

β) quia exempla pernicioſa, eorum præcipue, qui pertinaces ſunt, neque ſe ad frugem & meliorem ſententiam traduci patiuntur, quantum fieri poteſt, removenda ſunt, Tit. III. 10.

§. XXI.

Ulteriores etiam propinquitatis gradus aliquot recte a Magiſtratu civili porro prohibentur.

Atque hinc, quia rudis atque imperitæ plebis homines, ut ſunt legum & ſtatutorum DEi plerumque incurioſi,

ſi, Graduum Prohibitorum minus gnari ſunt, Magiſtratus Chriſtianus recte, ſcil. ne vulgus imprudenter atque incaute in matrimonia & commixtiones inceſtas ruat, remotiores quoque aliquot propinquitatis gradus prohibet, (cujus generis v. g. apud nos quidem, ſecundum Ordinationem Juris matrimonialis Virtembergici ſunt, gradus tum conſanguinitatis tum affinitatis in linea obliqua ſecundi - ſecundus, ſecundi - tertius & tertii - tertius;) eoque latius ſic extenſo interdicto legem divinam prudenter, tanquam ſepe aliqua, communit magis ac defendit.

Prob. α) Cum enim hæc remotiorum quoque propinquitatis graduum interdictio tum imperitum vulgus de gradibus interdictis erudiat magis atque commonefaciat, tum homines longius a matrimoniis inceſtis arceat atque prohibeat, ſua ei, niſi juſto lon-

longius extendatur, utilitas ad disciplinam externam nequit abjudicari, eoque minus, quia illa neque hominum libertati in magna nunc fœminarum frequentia ac multitudine quicquam derogat, neque eorum, si modo recte explicetur, conscientiam aggravat, sed illi potius sapienter consulit; adeo fere, ut, si Magistratus Genus etiam Affinitatis lineæ rectæ secundum eadem ratione ac modo circumscribere vellet, fortasse in ea re non inepte aut male facturus esset.

β) Quibus quidem frustra objicitur: Hujusmodi præcepta humana explicite a Christo sub N. F. damnari, quin DEum expressis verbis Deut. IV. 2. XII. 32. graviter interdicere, ne quid suis legibus addatur. Nam Respondetur:

a) Christus non ea damnavit præcepta humana, quæ a Magistratu civili ad servandam bonam disciplinam rogantur, sed ea tantum, quæ vel præce-

ptis

ptis divinis derogant, vel ut obſervatu ad ſalutem neceſſaria judicantur.

b) Nec DEus apud Moſen præcepta ejus generis ſuæ legi addere vetuit, quæ ad diſciplinam externam præter leges ejus feruntur, & cum eis conveniunt, ſed ea tantum legibus ſuis adjicere prohibuit, quæ vel eis repugnant, vel pro divinis atque abſolute neceſſariis venditantur. At leges illæ, quibus Magiſtratus Chriſtianus remotioribus etiam aliquot propinquitatis gradibus interdicit, neque pro divinis atque abſolute neceſſariis proponuntur, neque legibus divinis quicquam derogant, ſed ad eas potius eo ſanctius ſervandas inſerviunt.

§. XXII.

Gradus prohibiti omnes oculis ſubjiciuntur.

Itaque, ut minus exercitatis in hac Graduum prohibitorum computatione

ne ſtatim ob oculos verſetur, quo propoſita eis propinquitas referenda ſit, placuit, brevem hic eorum Indicem ſ. Computum exponere, ac I. eorum quidem, qui lege divina prohibiti ſunt; II. tum eorum, quibus Lex Ducalis Virtembergica prohibet; III. poſtremo eorum etiam aliquot adjecti ſunt, de quibus, etſi libere liciti ſunt, imperitiores tamen adhuc ambigere atque hærere poſſent.



BREVIS INDEX
SEV
COMPVTVS GRADVVM PROHIBITORVM.

Præmonita.

1. *Personae generatae singulae, suo quaeque Parenti, Patri vel Matri, linea perpendiculari recta appenduntur.*
2. *Personae generatae binae, quae communem Parentem habent, ut in Consanguinitate vel & Affinitate collaterali, ut vocant, communi suo illi Parenti duabus lineis obliquis hinc atque illinc a circello ejus pendentibus, sed in pari distantia & parallela scriptura subjunguntur.*
3. *Personae Consanguinitatis collateralis cognatae, quae paribus gradibus a communi stipite absunt, hinc atque isthinc paribus intervallis parallela ratione subjiciuntur.*
4. *Personae conjuges suis quaeque conjugibus linea transversa associantur.*
5. *Quodsi altera Consanguinearum collateralium persona uno vel duobus gradibus remotior a communi stipite absit, perinde est, utrum remotior persona cum suis progenitoribus ad dexteram, an ad sinistram ponatur.*
6. *Personae, de quibus in subsequentibus Schematibus quaestio est, circellis centrali puncto distinctis signantur.*

I. LE-

I. LEGE DIVINA GRADVS PROHIBITI.

ℵ. Consanguinitatis,

A) In Linea Recta Ascendente aut Descendente.

Schemata	*Vir non ducat*	*Foemina non nubat.*	pag.
In Gradu Primo.	Filiam suam.	Filio suo.	131
	Matrem suam.	Patri suo.	131
In Gradu Secundo.	Neptem suam i. e. filiam filii aut filiæ suæ.	Nepoti suo, i. e. filio filii s. filiæ suæ.	131
	Aviam suam, i. e. Matrem Patris aut Matris suæ: &c.	Avo suo, i. e. PatriPatris aut Matris suæ &c.	13[illegible]

B. In Linea Obliqua s. Collaterali.

In Gradu I.	Sororem suam.	Fratri suo.	137
In Gradu II. lineæ inæqualis	Filiam fratris sui.	Filio fratris sui.	136.137
	Filiam sororis suæ.	Filio sororis suæ.	137.136
	Sororem Patris sui, s. Amitam.	Fratri Patris sui, s. Patruo.	136.137
	Sororem Matris suæ, s. Materteram suam.	Fratri Matris suæ, s. Avunculo suo.	136.137

I. LEGE DIVINA GRADUS PROHIBITI.

א. Consanguinitatis,

B) In Linea Obliqua s. Collaterali.

Schemata	*Vir non ducat*	*Foemina non nubat.*	pag.
In Gradu III. lineæ inæqualis.	Neptem fratris sui.	Nepoti fratris sui.	137
	Neptem sororis suæ.	Nepoti sororis suæ.	137
	Sororem Avi sui.	Fratri Avi sui.	137
	Sororem Aviæ suæ.	Fratri Aviæ suæ.	137
In Gradu IV. lineæ inæqualis.	Proneptem fratris sui.	Pronepoti fratris sui.	
	Proneptem sororis suæ.	Pronepoti sororis suæ.	
	Sororem Proavi sui.	Fratri Proavi sui.	
	Sororem Proaviæ suæ &c.	Fratri Proaviæ suæ &c.	

ב. Affinitatis,

A. In Linea Recta,

α. Vitrici, Novercæ & Privignorum.

Schemata	*Vir non ducat*	*Foemina non nubat*	pag.
In Gradu Imo.	Privignam suam.	Privigno suo.	132
	Novercam suam.	Vitrico suo.	132

I. LEGE DIVINA GRADUS PROHIBITI,

ב. Affinitatis,

α. Vitrici, Novercæ & Privignorum.

Schemata In Gradu	*Vir non ducat*	*Foemina non nubat*	pag.
II.	Proprivignam fuam.	Proprivigno fuo.	132
	Pronovercam fuam &c.	Provitrico fuo. &c.	132
In Gradu II.	Privignam filii aut filiæ fuæ.	Patri Vitrici aut Novercæ fuæ.	133
	Matrem Vitrici aut Novercæ fuæ &c.	Privigno filii aut filiæ fuæ, &c.	133

B) Soceri & Socrus, Generi & Nurus.

In Gradu I.	Nurum fuam.	Socero fuo.	134
	Socrum fuam.	Genero fuo.	135
In Gradu IIdo.	Pronurum fuam, i. e. nurum filii aut filiæ fuæ.	Profocero fuo, i. e. Avo mariti fui.	135
	Profocrum fuam, i. e. Aviam uxoris fuæ &c.	Progenero fuo, i. e. genero filii aut filiæ fuæ &c.	135

I. LEGE DIVINA GRADVS PROHIBITI.

ב. Affinitatis,

B. In Linea Obliqua f. Collaterali.

Schemata In Gradu I.	*Vir non ducat*	*Foemina non nubat*	pag.
lineæ æqual.	Uxorem fratris fui.	Fratri mariti fui f. Leviro.	141
	Sororem uxoris fuæ.	Marito fororis fuæ.	141
In Gradu II. lineæ inæqual.	Uxorem filii fratris fui.	Marito filiæ fratris fui.	142
	Sororem Patris uxoris fuæ.	Fratri Patris mariti fui.	142
	Uxorem filii fororis fuæ.	Marito filiæ fororis fuæ.	142
	Sororem Matris uxoris fuæ.	Fratri Matris mariti fui.	142
In Gradu II. lineæ in æqualis	Filiam fratris uxoris fuæ.	Filio fratris mariti fui.	142
	Filiam Sororis uxoris fuæ.	Filio fororis mariti fui.	141
	Uxorem fratris Patris fui.	Marito fororis Patris fui.	142
	Uxorem fratris Matris fuæ.	Marito fororis Matris fuæ.	141
In Gradu III. lineæ inæqualis.	Uxorem nepotis fratris fui.	Marito neptis fratris fui.	
	Sororem Avi uxoris fuæ.	Fratri Avi Mariti fui.	
	Uxorem nepotis fororis fuæ.	Marito neptis fororis fuæ.	
	Sororem Aviæ uxoris fuæ.	Fratri Aviæ mariti fui.	

I. LEGE DIVINA GRADVS PROHIBITI.

ב. Affinitatis,

B. In Linea Obliqua f. Collaterali.

Schemata	*Vir non ducat*	*Foemina non nubat*
In Gradu III. lineæ inæqualis.	Neptem fratris uxoris fuæ. Neptem fororis uxoris fuæ. Uxorem fratris Avi fui. Uxorem fratris Aviæ fuæ. &c.	Marito fratris Avi fui. Marito fratris Aviæ fuæ. Nepoti fratris mariti fui. Nepoti fororis mariti fui. &c.


II. LEGE DVCALI VIRTEMBERGICA.

Gradus Prohibiti.

א. Confanguinitatis Collateralis


Schemata	*Vir non ducat fine Dispenfatione.*	*Foemina non nubat fine Difpenfat.*
InGradu II. lineæ æqualis.	Patruelem, Amitinam f.confobrinam fuam (*fein Gefchwifter-Kind.*)	Patrueli, Amitino f. Confobrino fuo (*ihr Gefchwifter-Kind.*)
InGradulII. lineæ inæq.	Patruelem, Amitinam f.Confobrinam Patris aut Matris fuæ (*feines Vaters oder Mutter Gefchwifter-Kind.*	Patrueli, Amitino f. Confobrino Patris autMatris fuæ (*ihres Vaters oder Mutter Gefchwifter-Kind.*)

II. LEGE DUCALI VIRTEMBERGICA.
Gradus Prohibiti.
א. Consanguinitatis collateralis.

Schemata	*Vir non ducat sine Dispensat.*	*Foemina non nubat sine Dispensat.*
(Vid. Schema præcedens.)	Filiam Patruelis, Amitini f. Consobrini sui; aut filiam Patruelis, Amitinæ aut Consobrinæ suæ (*die Tochter seines Geschwister-Kinds.*)	Filio Patruelis, Amitini f. Amitinæ, Consobrini f. Consobrinæ suæ (*ihres Geschwister-Kinds Sohn.*)
In Gradu III. lineæ æqualis 	Fœminam, cujus Pater aut Mater ipsius Patri aut Matri Patruelis, Amitinus f. Amitina, Consobrinus f. consobrina fuit (*eine Weibsperson, mit welcher er zu dritten Kind oder Geschwister Kinds - Kind ist.*)	Viro, cujus Pater aut Mater ipsius Patri aut Matri Patruelis, Amitinus f. Amitina, Consobrinus f. consobrina fuit (*eine Mannsperson, mit welcher sie zu dritten Kind oder Geschwister - Kinds-Kind ist.*)

Reliqui Gradus Consanguinitatis collateralis omnes sine Dispensatione sunt liberi.


II. LEGE DUCALI VIRTEMBERGICA
Gradus Prohibiti,
ב. Affinitatis Collateralis.

Schemata	*Vir non ducat sine Dispensat.*	*Foemina non nubat sine Dispensat.*
In Gradu II. lineæ inæqualis. 	Fœminam mortuæ uxoris suæ Patruelem, Amitinam aut Consobrinam (*die mit seinem Weib Geschwister-Kind ist.*)	Viro mortui sui mariti Patrueli, Amitino s. Consobrino (*der mit ihrem Mann Geschwister-Kind gewesen ist.*)
	Fœminam, quæ uxor fuit Patruelis, Amitini aut Consobrini sui. (*die seines Geschwister-Kinds Weib gewesen ist.*)	Viro, qui Patruelis, Amitinæ aut Consobrinæ suæ maritus fuit (*der seines Geschwister-Kinds Ehmann gewesen ist.*)
In Gradu III. lineæ inæqualis. 	Fœminam, cujus mariti Pater aut Mater ipsi scil. sponso) Patruelis, Amitinus s. Amitina, Consobrinus s. Consobrina fuit, (*mit deren Schwäher er Geschwister-Kind ist.*)	Viro, cujus uxoris Pater aut Mater ipsi (scil. Sponsæ) Patruelis, Amitinus s. Amitina, Consobrina s. Consobrina fuit, (*der mit ihrem Schwäher oder Schwieger Geschwister-Kind gewesen ist.*)

II. LEGE DVCALI VIRTEMBERGICA.

Gradus Prohibiti,

ℶ. Affinitatis Collateralis.

Schemata	*Vir non ducat sine Dispensat.*	*Foemina non nubat sine Disp.*
In Gradu III. lineæ inæqualis.	Fœminam Socero s. Socrui suæ Patruelem, Amitinam aut Consobrinam (*die mit seinem Schwäher oder Schwieger Geschwister-Kind ist.*)	Viro Socero aut Socrui suæ Patrueli, Amitino aut Consobrino, (*der mit ihrem Schwäher oder Schwieger Geschwister-Kind ist.*)
	Fœminam, cujus Pater aut Mater uxori ejus Patruelis, Amitinus, s. Amitina, Consobrinus s. Consobrina s. (*deren Vater oder Mutter mit seinem Weib Geschwister-Kind gewesen ist.*)*	Viro, cujus Pater aut Mater marito ejus Patruelis, Amitinus s. Amitina, Consobrinus s. Consobrina s. (*dessen Vater oder Mutter mit ihrem gewesenen Mann Geschwister-Kind gewesen ist.*) **

* Fœminam, cujus maritus Patri aut Matri sponsi Patruelis, Amitinus s. Consobrinus fuit (*deren Mann mit des* Sponsi *Vater oder Mutter Geschwister-Kind gewesen.*)

** Viro, cujus uxor Patri aut Matri sponsæ Patruelis, Amitina s. Consobrina s. (*deren Mann mit ihrem Vater oder Mutter Geschwister-Kind gewesen.*

II. LEGE DVCALI VIRTEMBERGICA.

Gradus Prohibiti,

ב. Affinitatis Collateralis.

Schemata	*Vir non ducat ſine Diſpenſat.*	*Fœmina non nubat ſine Diſp.*
In Gradu III. lineæ æqualis.	Fœminam, cujus cum Socero aut Socru Pater aut Mater ipſius Patruelis, Amitinus(na)ſ. Conſobrinus(na)ſ. (*mit deren Schvväheroder Schvviger ſein Vater oder Mütter Geſchvviſterkind iſt.*)	Viro, cujus cum Patre aut Matre Socer aut Socrus ejus Patruelis, Amitinus (na) ſ. Conſobrinus (na) fuit. (*mit deſſen Vater oder Muter ihr Schwäher oder Schwieger Geſchwiſter-Kind geweſen iſt.*)
	Fœminam, cujus Pater aut Mater cum ejus Socero Socru Patruelis, Amitinus (na) ſ. Conſobrinus (na) ſ. (*deren Vater oder Muter mit ſeinem Schvväher od. Schvviger Geſchvviſter-Kind gevveſen iſt.*)	Viro, cujus cum Socero aut Socru Pater aut Mater ejus Patruelis, Amitinus (na) ſeu Conſobrinus (na) fuit. (*mit deſſen Schwäher oder Schwieger ihr Vater oder Mutter Geſchvviſter Kind gevveſen iſt.*)

Reliqui Affinitatis collateralis Gradus omnes ſine Diſpenſatione liberi ſunt.

III. PER UTRAMQUE LEGEM GRADUS ſine Diſpenſatione liberi,

ב. Affinitatis

α) Primi Generis

Collateralis tantum. a)

Schemata	Vir ducat licet ſine Diſpenſat.	Fœmina nubalicet ſine Diſp.
	Fœminam, cujus maritus ſponſo conſanguineus f. in Gradu IVto lineæ inæqualis, eoque aut Secundi-Quarto, 1) vel Tertii-Quarto, 2) f. in Quarti-Quarto, aut Quarto, lineæ æqualis. 3)	Viro, qui marito ejus Conſanguineus fuit aut in Gradu IVto lineæ inæqualis, eoque aut Secundi-Quarto, 1) aut Tertii-Quarto, 2) aut in Gradu IVto, lineæ æqualis, f. Quarti-Quarto.


a) Nota. Primi Generis Affinitatis in linea recta Aſcendente aut Deſcendente omnes Gradus per legem divinam prohibiti, adeoque nulli liberi ſunt.

III. PER UTRAMQUE LEGEM GRADUS sine Dispensatione liberi,

ג. Affinitatis

α) Primi Generis

Collateralis tantum.



Vir ducat licet sine Dispensat.	*Foemina nubat licet sine Disp.*
Fœminam, quæ uxori sponsi consanguinea fuit, aut in Gradu IV. lineæ inæqualis, eoque aut Secundi-Quarto, 1) aut Tertii IVto 2) aut in Gradu IVto Lineæ æqualis, s. in Gradu Quarti-Quarto. 3. &c.	Viro, cujus uxori sponsa consanguinea fuit aut in Gradu IVto lineæ inæqualis, eoque aut Secundi-Quarto, 1) aut aut Tertii-Quarto, 2) aut in Gradu IVto lineæ æqualis, s. in Gradu Quarti-Quarto. 3) &c.

III. PER UTRAMQUE LEGEM GRADUS sine Dispensatione liberi.

ג. Affinitatis,

A) Simplicis,

β) Secundi Generis,

Nota. Omnes Gradus in Secundo Genere Affinitatis per utramque legem sine dispensatione liberi sunt. Est vero Affinitas primi Generis, eaque simplex, quæ ab uno orta est vinculo matrimoniali, & non nisi una linea vel Recta vel obliqua constat. Post Affinitas Primi generis Composita est, quæ ab uno quidem vinculo matrimoniali orta est, sed duabus constat lineis. Tum Affinitas Secundi Generis est, quæ a duobus vinculis matrimonialibus, mutato tamen sexu, orta est. Sunto igitur Secundi Generis Affinitatis exempla:

a) In Linea Recta Ascendente aut Descendente.

Schemata	*Vir ducat licet in matrimonium quanquam dissuadendum, sine Dispensatione tamen.*	*Foemina nubat licet sine Dispensatione, matrimonio tamen dissuadendo.*
O-O-O, O	Vitrici sui uxorem alteram.	Privigno mariti sui.
O-O-O, O, O, O	Uxorem alteram Provitrici sui, (non Aviam suam.) Proprivignam uxoris suæ.	Proprivigno mariti sui. Alteri marito Provercæ suæ (non Avo suo.)

III. PER UTRAMQUE LEGEM GRADUS
fine Difpenfatione liberi.

ב. Affinitatis,
A. Simplicis,
Secundi Generis,
a) In Linea recta.

Schemata	*Vir ducat licet fine Difpenfat.*	*Foemina nubat licet fine Difp*
	Uxorem alteram generi fui (non filiam fuam.) Socrum mortuæ uxoris fuæ (non Ma- fuam.)	Socero mariti fui, (non fuo Patri.) Marito altero nurus fuæ (non filio fuo.)
	Uxorem alteram progeneri fui (non neptem fuam.) Profocrum uxoris fuæ (non Aviam fuam.) &c.	Profocero mariti (non Avo fuo.) Mariti altero pronurus fuæ (non filio fuo.) &c.

III. PER UTRAMQUE LEGEM GRADUS ſine Diſpenſatione liberi.

2. Affinitatis,

A) Simplicis,

Secundi Generis,

b) In Linea Obliqua ſ. Collaterali.

Schemata	*Vir ducat licet ſine Diſpenſat.*	*Foemina nubat licet ſine Diſp.*
	Uxorem alteram mariti ſororis ſuæ (non ſororem ſuam.) Sororem prioris mariti uxoris ſuæ.	Fratri prioris uxoris mariti ſui. Marito alteri uxoris fratris ſui (non fratri ſuo.)
	Viduam fratris uxoris ſuæ.	Marito Gloris ſuæ, i. e. Sororis mariti ſui.
	Uxorem alteram Mariti Amitæ ſ. Materteræ ſuæ. Filiam fratris ſ. ſororis mariti prioris uxoris ſuæ.	Filio fratris ſ. ſororis prioris Mariti ſui uxoris Marito alteri uxoris Patrui ſ. Avunculi ſui.


III. PER UTRAMQUE LEGEM GRADVS
fine Difpenfatione liberi.

2. Affinitatis,

A. Simplicis,

α. Secundi Generis,

b) In Linea obliqua f. collaterali.

Schemata	Vir ducat licet fine Difpenfat.	Foemina nubat licet fine Difpenfat.
	Uxorem fratris foceri aut Socrus fuæ. Nurum fratris aut fororis uxoris fuæ.	Genero fratris vel fororis mariti fui. Marito fororis Soceri aut Socrus fuæ.

Reliquos hujus Generis Affinitatis Gradus nihil opus eft enumerare; quanto minus Generis Affinitatis Tertii, utpote quod, mutato fubinde fexu, tribus vinculis matrimonialibus conftat, neque alios, quam liberos gradus complectitur. Unicum hujus Generis Schema tantum efto:



Der Buchbinder beliebe das Blatt im ganzen Bogen wegzuschneiden, und dafür das beyliegende Blatt anzubinden.

III. PER UTRAMQUE LEGEM GRADUS
ſine Diſpenſatione liberi.

ב. Affinitatis

B. Compoſitæ, Exempla quædam.

Schemata	*Vir ducat licet ſine Diſpenſat.*	*Foemina nubat licet ſine Diſpenſat.*
	Socrum filii aut filiæ ſuæ.	Patri generi aut nurus ſuæ.
	(*Gegen-Schwäher und Gegen-Schwieger dörfen einander heurathen.*)	
	Comprivignam ſuam.	Comprivigno ſuo.
	(*Ganze Stief-Geſchwiſter dörfen einander heurathen.*)	

Not. Exempla affinitatis compoſitæ hic propoſita ſunt in linea duplici recta; quæ ſequuntur, ac primum quidem eſt in linea duplici obliqua, reliqua in linea duplici mixta, i. e. in linea recta & obliqua ſimul.

III. PER UTRAMQUE LEGEM GRADUS
sine Dispensatione liberi.

2. Affinitatis,

B. Compositæ, Exempla quædam.

Schemata	*Vir ducat licet sine Dispensat.*	*Foemina nubat licet sine Dispens.*
	Sororem uxoris fratris sui. Sororem mariti sororis suæ.	Fratri mariti sororis suæ. Fratri uxoris fratris sui.
	(Vier Geschwister von zweyerley Eltern dörfen einander heurathen.)	
	Socrum fratris aut sororis suæ. Sororem generi aut nurus suæ.	Socero fratris aut sororis suæ. Fratri generi aut nurus suæ.
	(Zwey Brüder dörfen Mutter und Tochter heurathen, auch zwo Schwestern Vater und Sohn, auch Bruder und Schwester Mutter und Sohn, Vater und Tochter.	
	Sororem Vitrici aut Novercæ suæ. Privignam fratris aut sororis suæ.	Fratri Vitrici aut Novercæ suæ. Privigno fratris aut sororis suæ.

III. PER UTRAMQUE LEGEM GRADUS aliquot sine Dispensatione liberi.

3. Affinitatis,

B. Compositæ.

Schemata	*Vir ducat licet sine Dispens.*	*Foemina nubat licet sine Dispensat.*
	Sororem uxoris Patrui aut Avunculi sui.	Fratri uxoris Patrui aut Avunculi sui.
	Filiam leviri aut gloris sororis suæ.	Fratri mariti Amitæ s. Materteræ suæ.
	Sororem mariti Amitæ aut Materteræ suæ.	Filio leviri aut gloris sororis suæ.
	Filiam fratruelem aut sororiam fratriæ suæ.	Filio fratrueli aut sororio fratriæ suæ.
	&c.	&c.

Plures Gradus aut exempla Affinitatis compositæ nihil opus est afferre.

IN-



INDEX
RERVM AC VERBORVM.

A.

Aspe-

B.

C.

D.

D.

E.

F.

G.

Ge-

a Gra-

H.

I.

L.

M.

M.

N.

Nu-

O.

P.

Po-

So-

T.

V.

Z.



CORRIGENDA.

Pag. 1. Lin. 7. in loco citato Lev. XX. del. v. 16. p. 7. l. 15. pro alias leg. illas. l. 21. pro XV. leg. XIV. p. 8. l. 4. a fine pro Luc. XVIII. leg. Lev. XVIII. p. 17. l. 10. pro Lev. XXI. 2. 3. leg. 1. 2. 3. p. 21. l. 9. pro cœde leg. cæde ib. l. 21. pro Saara leg. Sara. p. 23 l. 13. pro aperde leg. aperte. 14. pro Lev. XVIII. 16. leg. 28. p. 27. l. 13. pro mea, leg. me a. p. 30. l. 16. pro simul non leg simul (non. p. 37. l. 11. pro qui leg. quia. p. 41. l. 16. pro se consecutione leg ex consecutione. p. 57. l. 6. a fine pro אֲהוּת leg. אֲחוּת. p. 61. l. 7. pro 15. leg. 17. p. 63. l. 11. pro fæpe leg. sæpe. p. 64. l. 5. pro ruditas leg. nuditas. p. 73. l. 8. pro Gen: XII. leg. XIII. p. 76. l. 15. pro Ruth. I. 5. leg Ruth. I. 15. p. 87. l. 13. del. Job. XVI. 8. p. 89. l. 3. a fine pro XXIII. leg. XXIV. p. 90. in fine l. 15. pro soror leg sororis. p. 101. l. 17. pro beaverit: matrimonium, leg. beaverit. Inde consequi matrimonium. p. 107. l. 10. pro Qui leg. Quia. ib. lin. 13. pro Exod. V. leg. Exod. VI. p. 124. lin. 7. à fine pro eorum leg. earum. p. 126. lin. ult. pro quos leg. quas. p. 145. l. 8. pro faclie leg. facile.

Nonnulla reliqua errata, quæ ad sensum nihil faciunt, ut, L. B. ipse emendet, decenter rogatur.


B.17.6.10
BNCF

